16.—

# CHRIST. ADOLPHI KLOTZII
# EPISTOLAE HOMERICAE.




*ALTENBVRGI*

EX OFFICINA RICHTERIA

CIↃ CI CC LXIV.

AD

VIRVM

GENEROSISSIMVM

GEORG. AVGVSTVM

DE BREITENBAVCH

*EQVIT. THVRING*

DYNASTAM VILLARVM

SCORTLEBEN ET BVCHA

## *EPISTOLA I.*

O ſuaues Tuas litteras, nobiliſſime Breitenbauchi, et iucundas, et ſpirantes omni ex parte beneuolentiam et amorem, non quidem dubium mihi illum aut obſcurum, ſed in quem tamen neque temporum neque locorum interuallo quidquam licuiſſe, perlubenter nouo documento cognoui! Quemadmodum igitur amorem, quem in illis prae Te fers, tam liberaliter ad me venientem complexus ac prope ſuauiatus ſum: ita, niſi tam ſuauem libera-

lemque naturam, qua nihil amabilius, ita amarem, vt ea, quae nobis in vita prima sunt, amare solemus, erga quem illum haberes, profecto indignus essem. Quanta vero cum animi voluptate ingenii Tui imaginem, in carminum, quem addidisti, libro contemplatus sim, neque mihi quisquam facile credet, neque ego, ne Tuae modestiae vim molestiamque inferam, dicam; quanquam, id quod vel aliunde Tibi aliisque notum esse potest, non adeo blandus sum, vt, quod veritati negari debeat, auribus dare soleam. Quibus illa ingenii artisque luminibus distincta! quam incredibili voluptate singuli fere versus animum meum perfuderunt! quanta vbique venustas, elegantia, immo quanta veritas, ex ipsa rerum natura expressa! Gratias puto Veneremque, aut, si qua est his suauior Dea, Tibi canenti adfuisse, versusque

ſusque illos dictaſſe. quibus quod noſtram etiam laudem intexuiſti, noſtroque inter tot illuſtria nomina locum dediſti, eumque, quem diligis, dignum eſſe oſtendere voluiſti fauore Tuo: ſi vere de me praedicaſti, iudicio Tuo valde laetor; ſin deceptus es, quaeque in Te ſunt, mihi tribuiſti, amore tamen delector beneuolentiaque. Sed fruar interea hoc gaudio, falſo fortaſſe, ſed tamen gaudio, quod nolim mihi eripi. Quanquam quid ego verſuum Tuorum elegantiam miror? ipſe ille ſeceſſus amoeniſſimus, vbi ita domicilium poſuiſti, vt exemtus neceſſitate quotidie aliquid contra animum faciendi, Tibi Muſisque viueres, clamores et ſtrepitum aulae forique fugeres, aliosque ſpe, timore, rumoribus ſollicitari et frigidis rebus dies abſumere iuberes, ingenii praeſtantiam alit, auget et excitat,

 ſubli-

ſublimemque animum et ſpiritum beatiorem parare videtur. Illos liquidos fontes, purius coelum, auium concentum, nemorum iucundum frigus, aliaque, quae nobis tantum in poetarum carminibus mirari et amare licet, quis non credat animo illum vigorem dare, quem, qui in vrbe viuimus, ſaepe fruſtra precamur? Quem non delectet illa lata, arboribus ſiluisque conſita et riuis diſtincta planities, cincta eadem, vt vallis imaginem, non ſolum nomen, habeat, montibus, vnde amoeniſſimum regionis ſitum proſpicias, quamque largiſſime ſibi natura indulſerit, mireris; vnde, amoeniſſimam late circumſpiciendi libertatem nactus, contempleris complurium villarum tecta, veteresque aliquot, auorum memoria clariſſimorum, locorum ingentes ruinas, vbi et ſuperſtitio, et pia ſimplicitas, et ſtupor,

et

et pigritia, et probitas etiam cucullo tecta, latebrisque abſcondita olim habitauit; vbi ſemper noua rerum varietas oculis occurrit, eosque paſcit, nunquam explet et ſatiat? Quis non in vmbroſo littore Vnſtruthi amnis, qui quaſi inuitatus retentusque adiacentium villarum hortorumque amoenitate lentius profluit, libenter iaceat, et modo gratam, quamque ſoli poetae intelligunt, riui loquacitatem audiat, modo arbores, quibus ripa conueſtita, fruticesque aquam viridi imagine reddere cernat? Apes vero leui ſuſurro murmurantes nouosque rores legentes, ſoluta et libera armenta, taurum vomerem collo trahentem, mugientes vaccas, et vitulum pugnam meditantem, aut de alta rupe pendentes capellas, quis intueri poteſt, quin intimis ſenſibus afficiatur? Quam beatum igitur Te, non ſolum

ſapientem, Vir nobiliſſime, praedicem, qui, cum facillimo negotio theatrum nanciſci poſſis, in quo excellentes Tuae plurimaeque virtutes ab omnibus conſpiciantur, remotus ab iis negotiis, quae auocant animum, fatigant et comminuunt, Te in alto iſto et pingui ſeceſſu ſtudiis aſſeras, et vel pulcherrimarum artium ſtudio ingenium animumque paſcas, et ſcribas, quibus Tuum nomen ſumma cum laude coniunctum ab omni interitu hominumque obliuione vindices?

*Quem non ambigui faſces, non mobile vulgus,*
*Non leges, non caſtra tenent: qui pectore magno*
*Spemque metumque domas, vitio ſublimior omni,*
*Exemptus fatis, indignantemque refellis*

*Fortu-*

*Fortunam: dubio quem non in turbine rerum*
*Deprendet ſuprema dies* *).

Quo alio modo iucundius vita agi poteſt, quam ſi ineptias turbasque, quibus omnia redundant, fugiamus, abdamusque nos, quantum licet? Quanto iure illa vita vitalis dici poteſt, quam in portu litterarum traducimus! Nunquam equidem ambitioni ſacramentum dedi, nec, quae vulgus hominum miratur, moleſtis precibus a diis flagitaui, qui, quo loco ea omnia habenda eſſent, ſcirem, animique tranquillitatem aliunde, quam ab honorum, opumque ſplendore petendam eſſe exiſtimarem. Conſcius meae voluntatis et potens, veram diuitiarum menſuram cenſeo, nullius rei egere, magisque in vtendo rationem atque in carendo patientiam, quam fortunam in acci-

*) *Stat. Sylv.*

accipiendo laudandam esse arbitror. Sed si gratum mihi muneris arbitrium Deus faceret, non precarer profecto, vt ille:

*— — Effice, quidquid*
*Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.*

non, mehercle! animi libertatem tranquillitatemque auro et argento venderem et transcriberem. Nam eorum, qui opes et numos et honores et quidquid ad crepundia haec, quibus plurima pars mortalium capitur, pertinet, cupiunt, vota non minus ridere soleo, non magis ipse facere volo, quam illud, cui nescio an simile quisquam fecerit, Iul. Caesaris Vanini [1]) infelicis magis, quoniam

1) De admirand. Natur. Regin. Deaeque mortal. arcanis, dial. 48. *O vtinam extra legitimum et coniugalem thorum essem*

niam in atras quorundam, diſſentientes flammis ferroque refutantium, manus inciderat, quam ſcelerati hominis. Quid igitur eſt, quod Deum poſco?

*— modus agri non ita magnus,*
*Hortus vbi et tecto vicinus iugis aquae fons,*
*Et paullum ſiluae ſuper his foret.*

Saepius etiam mecum: quando mihi licebit ad arbitrium meum omnia facere? quando me magis atque magis otio inuoluere? quando in ſeceſſu mecum tantum et cum libellis loqui, et quod-

*eſſem procreatus! Ita enim progenitores mei in Venerem coaluiſſent ardentius, ac cumulatim affatimque generoſa ſemina contuliſſent, quibus ego formae blanditiem et elegantiam, robuſtas corporis vires mentemque innubilam conſecutus fuiſſem: at quia coniugatorum ſum ſoboles, iis orbatus ſum bonis.*

quodcunque contraxi molestiarum, deponere?

*Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,*
*Flumina amem siluasque inglorius.*

Sed optare haec facilius, quam, sperare licet. Nosti, antiquissimam omnium esse poetarum querelam de ingrato seculo et infelicitate temporum [2]), nec ignoras, quem locum in regia Reginae Pecuniae poetas tenere ipse poeta*), cuique adeo fidem negare improbum, commemoret.

*At vero numero ex omni, quem maxima seruant*
*Atria, conspicitur vates vix vnus et alter.*

*Atque*

2) *M. Sc. . . . dit, que la plus ancienne de toutes les plaintes c'est elle des poetes sur le malheur du temps & sur l'ingratitude de leur siecle.* Menagiana p. 266.

*) *Iohannes Secundus.*

*Atque illi longe prius abiecere poetae*
*Squallentem vafri faciem, crinesque tiara*
*Laurigeros vel puniceo texere galero,*
*Mentitaque Deam taciti ſub imagine fallunt.*
*O vatum gens infelix, fruſtraque profani*
*Contemtrix populi, fruſtra nutrita ſub antris*
*Pieriis, fruſtra choreis admiſſa Dearum,*
*Si vobis infeſta manet Dea maxima, cuius*
*Concuſſus ſceptro terrae tremit orbis, et omnis*
*Regia turbatae mugit procul Amphitrites.*

Nempe haec eſt ea haereditas, quam a manu in manum traditam a patre Homero poetae acceperunt. Tribus ſcalis habita-

habitabat Martialis, ſed altis; nullas opes reliquit Malherbius; eoque tempore, quo dedecori erat, ſine pallio ambulare, ne pallium quidem geſtabat Triſtanus 3). Pedes verbaque numerare voluit poetas Fortuna, non nummos: fortaſſe quia eos, qui commercia coeli iactant, facile humanis crepundiis carere poſſe credidit. Interim tamen fauore et munificentia Maecenatis (ita non more et conſuetudine, ſed ſummo ſuo merito et ex animi ſententia appellamus *Munchhuſium*; nam Maecenatis nomen antiquatum iri, *Munchhuſiique* ſucceſſurum eſſe credo: quanquam poſt multos demum annos, longiſſimam-

3) Noti ſunt verſiculi:

*Triſtan qu'on mit au tombeau*
*Plus pauvre que n'eſt un Prophete,*
*En laiſſant à Quinaut ſon eſprit de Poete,*
*Ne pût lui laiſſer un manteau.*

giſſimamque, quam humanitas admittit, aetatem, hoc fieri omnes optabunt, qui illius viri anima litterarum ſalutem contineri ſibi perſuaſerint,) illius igitur fauore iucundum otium nactus ſum, quod dum centum alii otioſiſſimis occupationibus perdunt, in litteris collocare iuuat, atque inter nutriculas pueritiae meae adoleſcentiaeque dulciſſimas ſodales, Muſas, conſumere. Spesque metusque hominum rideo: vanas inimicorum iras ſperno, et rectae opinionis clypeum ad cuiuslibet impetum obuerto: vno verbo, mihi viuo. Vbi vrbis taedet, in ſuburbanum hortulum fugio, ibique aut lego aliquid, aut ſcribo, neſcio quid nugarum meditans, et in illis totus. Nihil vero magis me reficit conſuetudine maximorum elegantiſſimorumque omnis aeui hominum, qui me vbique comitantur, ſem-

per incredibiliter delectant. Ploro cum Sophocle, et cum Euripide moereo: amo et ludo cum Anacreonte: rusticor cum Theocrito: terrá relicta, coelum cum Pindaro peto: proelium ineo cum Homero: rideo cum Flacco et Iuuenale: atque mores hominum obseruo cum Terentio. Horum opera legenti quae mihi in mentem venerunt, in commentarios retuli, in quibus nihil est magna industria elaboratum, aut multo librorum auctorumque numero confirmatum, quodque non ingeniosus quiuis aut iam sciat, aut facile reperiat: quaedam tamen non peruulgata satis, immo, nisi valde erro, nondum ab aliis dicta. Quemadmodum vero poetae ab Ioue principium faciunt, ita ego ab Homero. cuius de laude quia saepe a me dictum est, et dicetur alias, eo facilius me a Te veniam impetraturum esse spero, si illum

illum in quibusdam reprehendere ausus fuerim. vbi lubenter tamen me ex eorum numero eximes, qui inepto ausu, maioreque audacia, quam doctrina, instructi, illorum operum praestantiae detrahere conentur, quibus a bis mille annis summam praestantiae laudem vna et consentiens sapientissimorum hominum vox, et totus, qua patet, litterarum orbis tribuit. Nemo fortasse me vehementius antiquos scriptores admiratur et amat, eorumque libros maiore animi cum voluptate legit. Ingenii humani summam vim et quasi mensuram in iis constitisse et eluxisse puto: immo Homeri,

*Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes*
*Praestinxit stellas, exortus vti aetherius sol,*

 cogita-

cogitatione, quaſi ad diuinitatis occurſum commoueor, adſurgo illius magnitudini, inflammari me ſentio et immortalitatis ardore accendi. Idem tamen eosdem magnos viros homines fuiſſe exiſtimo neque immunes iis, quae hominum propria ſunt. Quorum quid eſt aliud tam proprium, quam errare et labi? Quod quidem meum de veterum ſcriptorum libris iudicium non ſolum verum eſſe puto, ſed tale etiam, vt minime laus illorum imminuatur, aut ideo hos minus placere debere alicui, exiſtimari debeat. Neque enim liber ideo, placet et laudatur; quod nullis vitiis deformatur, ſed quod quam plurimis maximisque virtutibus nitet, quae illa facile obſcurant. Poteſt monimentum aliquod ingenii praeſtantiſſimum eſſe, licet auctor ſaepiſſime peccet in artis praecepta: poteſt etiam illud exactum

exactum esse, simulque minime placere 4): immo, si mihi optio detur, vtrum malim, eligam mihi auctorem magni ingenii, nec exiguorum vitiorum; eum vero, qui nihil peccat, reiiciam, irascarque homini, qui eo contentus, quod non offendat, nihil praeterea curat, nec, quomodo me delectet, cogitat. Hi sunt mediocres illi et capitales poetae, quibus nihil est miserius, quorum libris nihil molestius.

— *mediocribus esse poetis*
*Non DI, non homines, non concessere*
*columnae.*

Quis Shakespeario magis vnquam neglexit ea, quae artis, non ingenii sunt? quis liberius contemsit, quae de dispositione fabulae Critici praeceperunt?



4) conf. Du Bos Reflex. sur la poes. & peinture. P. II. c. 22.

nam et actionem per aliquot annos extendit, et complura alia peccat in leges comoediae. Idem tamen nonne meritissimam famam summi ingenii, fabularumque auctoris, cuius vix vlla aetas similem protulerit, assecutus est? nonne diuinus appellatur? Frustra persuadere conabatur Huetius hominibus, esse Capellani puellam pulchram, esse forma ad omnes leges elegantiae exacta. nullum tamen procum inuenit, ne amatorem quidem. ad rauim bono patri erat canendum clamandumque:

*Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem,*
*Neque eam queo locare cuiquam.*

Multi frustra laborauerunt, vt Cornelii fabulam, quae Cid dicitur, non ad regulas artis compositam esse ostenderent. neque tamen ideo ingeniosis et a

partium

partium ſtudiis remotis diſplicuit. *) Menardierius et Aubignacius 5) in tragoediis, ille in Alinda, hic in Zenobia, Ariſtotelis praecepta, qua fieri poteſt, ſumma diligentia ſecuti, quid effecerunt? Spreuit eorum labores illa aetas: ignorat fere noſtra. Nunquam peccaſſe dicitur Apollonius: quis vero non lubentius multo Homeri famam ingeniumque, cum omnibus vitiis, quam Apollonii timidam et ieiunam tenuitatem habere velit 6)? Haec igitur aliaque cogitare debebant, qui patrum memoria de praeſtantia veterum ſcriptorum, maiore clamore, quam ſapientia, diſputauerunt: cum illi, qui, ſi in



*) *La Menardière. L'abbé d'Aubignac.*

5) vid. notas ad Boelaei Art. Poet. I, 1. p. 267. (ed. Amſtel. 1729. fol.)

6) Plura vide apud Longin. de ſubl. c. 33. et 36. add. Plin. IX, ep. 26.

pulchro corpore naeuum offenderant, incredibiles turbas excitarent, tum hi, qui nefas censerent, humanae imbecillitatis vestigia in antiquis monimentis quaerere et inuenire. Placebit Homerus, laudabitur, admiratione dignus censebitur, licet illum dormitasse aliquoties appareat. quod iis in locis inprimis patere existimo, vbi, siue quod suae aetatis moribus inseruit nondum politis satis et cum simplicitate rusticum aliquid et asperum habentibus, siue quia difficile est, continere, quae risum lectori excitatura esse putamus, siue quod iudicii quodam errore lapsus est, ad ea descendit, quae epici carminis grauitatem et dignitatem minime decere puto. Intelligo vero, Homerum aliquoties, loco admodum inepto, dum risum lectorum captare voluit, non leuibus carmen diuinum maculis adspersisse, quae illi

non

non exiguam deformitatem lectorique molestiam concilient. Huc referre potes cum in Odyssea Iri cum Vlysse concertationem 7), tum in libro Iliados primo eum locum, vbi Deum Vulcanum histrionem agere iubet 8). Quid enim aliud agit, quando Diis vinum infundit, qui claudum hunc pincernam magno risu prosequuntur? Sed magis res patebit ex altero libro. Magnis iris inter duces ortis summisque turbis in exercitu, conatur Vlysses Graecos, iam domum abituros, cum blandis tum seueris vocibus retinere. non aliter ac si tempestate saeuissima excitati maris fluctus circa littora fremunt, populus concurrit 9): "reliqui omnes taciti sede-„ bant: sed solus Thersites aliquis loqua-„ citate sua molestus erat. Hic homo„

 scurram„

7) L. XVIII. 8) a v. 595.

9) a v. 21[illegible]

„ſcurram agere, riſum reliquorum „Graecorum captare, ſine modo garrire, „et cum ducibus rixari ſolebat. Prae- „terea turpiſſimus erat omnium, qui „ad expeditionem Troianam veniſſent. „Strabo erat, altero pede claudus: curui „illius humeri atque in pectus con- „tracti: acutus capite: raris capillis „conſpicuus". Hic cum etiam contu- meliam feciſſet Agamemnoni, grauiter increpatus verberatusque ab Vlyſſe „ſe „intorſit, valde lacrymauit, vibice cruen- „ta in tergore orta: ſedit, timuitque, „vultu foedo dolorem praeferens, lacry- „masque abſterſit: reliqui vero omnes „ſuauiter riſerunt". Minerua popu- lum ſilere iubet, forma praeconis aſ- ſumta, et Vlyſſes loquitur. Iam illud non negabo, collegiſſe Homerum omnia, quae foedum hominis et ri- diculum adſpectum facerent: cui ſi

amica

amica aut vxor quaerenda, dabo illam, quae

*Torta comam, labroque tumens, et*
*fusca colore,*
*Pectore lata, iacens mammis, compressior aluo,*
*Cruribus exilis, spatiosa prodiga*
*planta:*
*Continuis rimis calcanea scissa rigebant* [10]).

Atque etiam facile intelligo, cur Claudius Belurgerius [11]) hac Thersitis imagine, in tabula periti artificis manu picta, tantopere delectatus sit. Verum tenebimus semper illud Quintiliani:

*Nihil*

10) in Moret. inter Catalect. Virgil. v. 34.

11) v. Nic. Erythraei Pinacoth. p. 205. et Vincent. Parauicini Singul. Erud. Cent. III. n. 12. p. 150

*Nihil poteſt placere, quod non decet.* In ſatyra aut aliquo alio carmine ludicro ſi hic homo compareret, non parum me delectaret, lubenterque tribuerem poetae ingenii et inuentionis laudem.

*Sed nunc non erat his locus; et fortaſſe cupreſſum*
*Scis ſimulare: quid hoc, ſi fractis enatat exſpes*
*Nauibus, aere dato qui pingitur?*

Eſt enim inprimis illud diligenter obſervandum, vt apto quidque loco ponatur; neque ego praeclaram noctis deſcriptionem apud Virgilium 12) magis ideo laudo,

12) Aen. IV, 522.

*Nox erat, et placidum carpebant feſſa ſoporem*
*Corpora per terras: ſiluaeque et ſaeua quierant*
*Aequo-*

laudo, quia elegantiſſimi ingenii ſpecimen praebet, quam, quoniam eo loco adhibita multo maiore miſeratione dignam reddit inquietam et moeſtam Didonem, quae ea tranquillitate caret, qua tota rerum natura fruitur, quamque animalia omnia viliſſimaque habent [13]. Taſſum etiam, non quia hos Virgilia-

*Aequora: quum medio voluuntur ſidera lapſu,*
*Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,*
*Quaeque lacus late liquidos, quaeque aſpera dumis*
*Rura tenent, ſomno poſitae ſub nocte ſilenti*
*Lenibant curas, et corda oblita laborum.*
*At non infelix animi Phoeniſſa, neque vnquam*
*Soluitur in ſomnos, oculisue aut pectore noctem*
*Accipit.*

13) v. *Traité du poeme epique p. Boſſu.* L. VI. c. 2. p. 193.

Virgilianos verſus imitatus eſt, laudo, ſed quia ita imitatus eſt, vt placidae noctis deſcriptione magis eniteret animus militum pugnandi cupidus, et impatienter diem, quo Hieroſolyma cernerent, proximum exſpectans exercitus pingeretur[14]). Quemadmodum ineptum eſt in

14) *Gieruſ. liber. Cant. II.*

XCVI.

*Era la notte allor, ch'alto ripoſo*
*Han l'onde, e i venti, e parea muto il mondo:*
*Gli animai laſſi, e quei, che'l mare ondoſo*
ò *de'liquidi laghi alberga il fondo,*
*E chi ſi giace in tana, ò in mandra aſcoſo,*
*E i pinti augelli nell' obblio profondo*
*Sotto il ſilentio de ſecreti orrori*
*Sopian gli affanni, e raddolciano i cori.*

XCVII.

*Ma ne'l Campo fedel, ne'l Franco Duca*
*Si diſcioglie nel ſonno, ò almen s'accheta;*
*Tanta in lor cupidigia è, che riluca*
*Omai nel ciel l'alba aſpettata, e lieta: &c.*

in re iocoſa tragoedias excitare, ita etiam in graui ridere, quis decere exiſtimat? Neque vero hic ridere volumus, ſed pleni ſumus exſpectatione, ab ipſo poeta nobis iniecta, quem res habitura ſit exitum. Totum videmus exercitum commotum concurrentemque: ſcire auemus, vtrum arma ſumturi ſint Graeci, an redituri domum: ecce! occurrit nobis illud *μορμολύκειον*, nosque properantes lacinia retinet. Reſiſtimus, indignamur illi, qui monſtrum hoc miſit, et, vbi ſeueri non ſolum voluimus eſſe, ſed etiam debuimus, ridemus. Contra vero ſi iſtum hominem reiiciamus, ſi illos verſus reſcindamus omnes, nonne retinebimus animi grauitatem? nonne omnia optime conſtabunt, epicique carminis maieſtati reſpondebunt, quod eiusmodi luſus plane reſpuit, et comoediis ſatyrisque concedit? Quo argumento

gumento quod aliud clarius oſtendit, inepto loco atque adeo male ſummum poetam Therſitem in ſcenam produxiſſe? Noui, quid concedi debeat illi, qua poeta vixit, aetati: noui, quid ſimplicitas morum poſtulet. Non offendit me Helena in telo texendo occupata: non diſplicent reges et ſacrificia curantes et coenam parantes: nec inuitus video filiam regis, veſtes ſuas lauantem. Immo dum bubulcum et ſubulcum vituperat Trappius [15]), non cogitaſſe videtur, eo tempore rei pecuariae ſummum honorem fuiſſe, immo a grege arceſſitos, qui populi imperium capeſſerent. Videor mihi in his antiquiſſimorum temporum auream imaginem videre [16]). Sed ridicula ſeriis, iocoſa

grauibus,

15) Praelection. Poet. III. p. 107.

16) confer Dacieriae praefat. ad verſ. Homer. Gallic. p. 35.

grauibus, humilia magnis miſcere, omni tempore indecorum videri debuit, et a quouis reprehendi, niſi, qui ſibi cum Lupo Felice de Vega, Carpione, perſuaſum habeat, licere ſibi, omnibus praeceptis neglectis, quascunque res quocunque modo in ſcenam producere, et veris fabuloſa, comicis tragica, ridiculis ſeria ita miſcere, vt omne ſocci et cothurni diſcrimen tollatur: id quod eum, nimio populo placendi ſtudio feciſſe, Nicolaus Antonius [17]) prodidit. Si, quid Euſtathius de hoc loco ſenſerit, ſcire cupias, dicam Tibi. Admodum vero, ſi DIs placet, acute poetam docere voluiſſe ſcribit [18]), in magna moratorum hominum multitudine nonnullos etiam eſſe incompoſitis ſolutisque moribus,

17) in Biblioth. Hiſpan. T. II. p. 60.
18) p. 386. edit. Politi. add. p. 415.

moribus, vecordes, nec capaces disciplinae. vbi aliquis quaerere potest, quis negotii hoc dederit Homero, vt hoc in Iliade doceret, aut quis illum hoc praeceptum eo, quo vidimus, modo tradere coegerit. Addit etiam, vt Grammaticorum natio inprimis in Homeri interpretatione acumen suum ostendere voluit, esse, qui dicant, Thersitem fuisse tutorem poetae, quem ob rem familiarem male ab isto administratam his versibus punire voluerit: nam ob corruptos pretio iudices non aliter potuisse. Quod credat, cui volupe est. nos ita existimamus, non solos Graecos suauiter ob hunc hominem risisse, sed risurum etiam esse, quicunque lectorum non stulto amore aut superstitioso cultu veteres scriptores prosequatur. Similis, vt magnis virtutibus, ita etiam in hac re Homero est Miltonus, quem facetum

et

et iocoſum fuiſſe video, vbi grauis et ſeuerus eſſe debebat. Huc pertinet altercatio Gabrielis cum malo ex inferis genio, qui etiam illum contumelioſum genium appellat [19]). Nec decere puto illam orationis ambiguitatem [20]) carmen epicum, multoque minus acerbum Satanae iocum [21]), coeleſtes genios percuſſos lepide exſultaſſe, quaſi ſaltantes, ſed tamen nimis pro ſaltatione feroces [22]) eorum geſtus fuiſſe. Diſplicet etiam in diuino carmine illa ſedes ſtultorum [23]) ineptorumque, quam recte etiam Bentleius [24]) vituperat, quanquam etiam hic ſui ſimilis eſt, atque



19) *Paradiſe loſt* L. IV. a v. 885.

20) Ib. L. VI. a v. 558.

21) v. 609.

22) ipſe vertes: *extravagant and wild.*

23) *Limbo or fools Paradiſe.* L. III. a v. 444.

24) in notis ad Milton. p. 93.

editorem, quem in ſomniis, credo, viderat, accuſat. Adſcriberem verſus, niſi et plures eſſent, et Tibi eos notos eſſe exiſtimarem. Sed hanc parſimoniam alio compenſabo modo. Edidit Thomas quidam Ceva carmen epicum, aut, vt ipſe in praefatione ſcribit, *comico-heroicum*, quod *Puer Ieſus* inſcripſit [25]. Hoc carmen ſi legeris, quid auctori propoſitum fuerit, vtrum riſum excitare, an, vt par erat, ſummam Dei benignitatem ſeuero animo canere voluerit, dubitabis. Praeter alia exempla duo tantum memorabo, quoniam Homericis valde ſimilia ſunt. Dicit igitur Ceva, Satanam ſub forma anus ſe Nazaraeis matribus immiſcuiſſe:

— *eratque adeo ſine more modoque*
*Expreſſo in luctu deformis, vt ipſa modeſtum,*

*Quan-*

25) Mediolani. 1699. 8.

*Quanquam diſſimulet vultu, vix, credo, teneret,*
*Conſcia quippe doli, Virgo pulcherrima riſum.*
*Namque vtraque manu complectens tempora, labris,*
*Barbula queis inerat, miſere hinc atque inde reductis,*
*Singultusque trahens crebros, velut antlia ſicca,*
*Hos, frontem caperans vultu lugentis amarum,*
*Perfida turpis anus queſtus dabat.*

Non poterat poeta aliam Satanae formam tribuere, quam anus? et, ſi omnino infelici genio humilis ſpecies danda, cur eam tam diſerte hoc loco enarrauit? Sed magis ridiculi ſunt illi verſus, quibus coeleſtem genium infero citharam impegiſſe commemorat.

*At circum erranti et per ramos cuncta tuenti*
*A tergo alatus fidicen cornu inter vtrumque*
*Barbiton infregit medium, quod forte gerebat.*

quid tum? non risum, sed cachinnum poeta vult excitare:

*— ille fuga pedibus quatit arua bisulcis,*
*Tuta petens; summi scandentemque ardua montis*
*Cernere erat, pauidum celsa de rupe tuentem,*
*Atque vtraque manu plagam ceruice tenentem.*

Habes Thersitis sodalem et comitem; vtrumque eo, quo conspicitur, loco intolerabilem, nec auctori parentique suo honorificum. Ne tamen solos poe-

tas

tas ita peccasse arbitreris, faciam, quod lubenter facere soleo, vt poetas et artifices inter se comparem, etiam hoc tempore, atque clarissimorum pictorum tabulas eosdem naeuos deformare ostendam. Atque ex antiquis monimentis exemplum nobis dat columnae Traianae ea pars, in qua Imperator populum alloquitur, atque ex hominum turba asino vnus decidit, ad quod spectaculum complures auditorum ora auertunt ab Imperatore 26). E recentioribus credo Te audiuisse Paulum Caliarium Veronae coenam Christi in aedibus Simonis pinxisse, simulque Mariam Magdalenam pedes illius vngentem,



26) v. *Colonna Trajana eretta dal Senato e populo Romano all' Imperatore Trajano Augusto — nuovamente disegnata & intagliata da Pietro Santi Bartoli*, tab. VIII.

eademque in tabula duo histriones iis, quibus solent a reliquis hominibus distingui, vestibus, exhibuisse. Titianus, cum Christum coenam in pago Emaano cum discipulis duobus sumentem pingeret, sub mensa canem felemque, mordentes sese ore, posuit. Magnus ille Raphael, qui vere de se praedicare poterat:

*Sic mea Naturam manus est imitata, videri*
*Posset vt ipsa meas esse imitata manus:*
*Saepe meis tabulis ipsa est delusa, suumque*
*Credidit esse, meae quod fuit artis opus* 27).

ille igitur Raphael, vbi in pictura donationis Constantini M. locum vacuum melius reliquisset, puerum nudum cani insiden-

27) Epigr. Mureti in Raphael.

insidentem pinxit. Quid vero Iulium Romanum in tabula, quae de coelo Constantino M. oblatam speciem exhibet, vehementer laudata ob reliquam praestantiam, putas peccasse? Ille deformosissimum Hippolyti Medicei pygmaeum addidit, cuius adspectus non potest non ridiculus esse. Domenichinum, aut, quo nomine proprio appellabatur, Dominicum Zampierum quis defendat, qui picturam Andreae, ob professionem doctrinae Christianae necati, ita deformauit, vt carnificum vnus, funem manu attrahens, lapsaret et caderet, sociis valde hoc casu gaudentibus [28]). Intelliges ex his, quibus, si opus esset, alia potuissem exempla addere et plura, summa etiam ingenia, dum, quod deceret, neglexerint, ri-

 diculis

28) consule super his Richardsonum. *Traitè de la Peinture.* T. I. p. 50.

diculis modis peccaſſe. Habet igitur Homerus, non defenſores quidem, ſed ſocios tamen peccati. Atque etiam ego in hac accuſatione mihi aſſumam ſocium Hieron. Vidam, quem puto Therſitem in animo habuiſſe, cum ſcriberet:

*Nec, ſi quem indecoremque animi pugnasque peroſum*
*Egregios inter memoras heroas in armis*
*Caſtra ſequi, cupidi exſpectant audire legentes,*
*Qua facie, quibus ille humeris, qualiue capillo*
*Incedat, captusne oculo, an pes claudicet alter,*
*Aut longo vertex ductu conſurgat acutus.*
*Ordine cuncta, aliud quaſi nil tibi reſtet agendum* 29).

Neſcio,

29) Poet. L. II. p. 270.

Nescio, quomodo factum sit, vt, qui patrum memoria omnia colligerent, quae ad vituperandum Homerum aliquo modo pertinere viderentur, non vehementius hunc locum accusarent, quem nullo modo defendi posse liquet. Sed puto plurimos eo deceptos, quod bene videbant pictam esse hanc imaginem, nec, quam inepto loco posita esset, cogitabant. Largior lubenter, non defraudandum esse poetam laude sua, illamque hominis foeditatem pulchre esse expressam. nam quis negat, Iulium etiam in illo pygmaeo pingendo non vulgarem artem ostendisse 30)? Sed illud quoque Te mihi largiri cupio, plane dedecere

30) Richardson P. III. p. 420. *Enfin la figure de Jule est un chef-d'œuvre de Burlesque: mais c'est justement pour cela, qu'ici elle n'est point du tout en sa place.*

dedecere Therſitem epici carminis gravitatem.

## EPISTOLA II.

Iterum dico. non placet mihi Homericus Therſites, neque placebit vnquam, ſi vel Medeae ope repueraſcat. Dimittamus iſtum hominem, aut, ſi reluctetur, nobisque etiam, vt Graecorum ducibus, conuicium facere audeat, obtorto collo hinc eiiciamus. Quanquam quid dubitamus, illum quoque ſuos defenſores nacturum, et aduenturos quosdam eſſe, qui belliſſimo puero manum iniici aegre ferant? Sunt enim, quibus nullum cum Muſis et philoſophia contubernium, nulla conſuetudo, quique, velut opificium, litteras didicerint, qui nihil clament vituperandum eſſe, quod antiquum ſit, quique nefas

eſſe

esse existiment, Graecorum Romanorumque scriptorum censuram facere. Quos quasi sacramento rogatos vel etiam superstitione constrictos, patiamur servire, quoniam neque liberi esse volunt, neque digni sunt libertate. Ignorent isti, nunquam naturam tanta copia opes suas profundere, vt velut exhausta aut defatigata, omnibus, praeter paucos, mortalibus arenam aut lapides pro cerebro dare necesse habeat. Obliuiscantur, magna etiam ingenia oneri cedere et labi, nihilque omnium rerum in toto orbe omnibus esse numeris absolutum. Nos aeterna illa monimenta a Graecis Latinisque relicta non ideo venerabimur, quoniam priscis temporibus composita fuerunt: sed illis temporibus ideo laudem et honorem habebimus, quoniam ex iis ea opera ad nos peruenerunt, quae in tantum recentioribus

ribus

ribus praestantiora sunt, in quantum aliquid alio melius esse posse intelligitur. Non, quia Graeco Latinoque sermone vsi sunt Homerus, Theocritus, Virgilius, Horatius, eorum versus admirabimur: sed, quoniam tanta ingenia Graecis Latinisque litteris, quaecunque pulchre cogitauerunt et eleganter, consignarunt, addiscemus eas, existimabimusque, aliis etiam linguis et sapientiam, et eloquentiam et poesin vti posse. Legemus libros veteres ita, vt auctorum diuina ingenia admiremur, conemurque, quam illi tritam nobis reliquerunt, ad veram gloriam et immortalem laudem viam inire: semper autem honestam et ingenuo homine dignam examinandi omnia accurate, et, quoties opus fuerit, vituperandi dissentiendique libertatem retinebimus. Istos vero praeclaros, si DIs placet, huma-

nitatis

nitatis doctores cur miramur aliter iudicare? nempe, consumta tota vita in syllabis numerandis, verbis expungendis, antiquis ritibus formulisque ediscendis, in angulis scholae aut cathedrae vmbra consenuerunt. Nesciunt plane illam coelestem animorum inflammationem, afflatumque furoris, quo poetarum animus excitatur, et accenditur: ignorant illud os magna sonaturum, illudque omni hominum imbecillitate maius et coelo cognatum ingenium. Quae igitur est illa scientia, qua turgidi tam magnifice incedunt, tam alte supercilia tollunt, et, quasi omnem nostrarum litterarum vim atque materiam scientiae cogitatione comprehenderint, reliquos ex alto despiciunt et spernunt. Quae verba aureae, quae argenteae aetatis sint, tenent: sciunt, quae voces in Antibarbaro Cellarii aut Nol-

tenii

tenii indice, ſi ita dicere licet, expurgatorio, notatae ſint: ſimiles collegae olim ſui, Pomponii Marcelli, ſoloeciſmum in aduocatione factum tanquam crimen in aduerſario arguentis, de antiquo aliquo ritu obſcura diligentia libellos quosdam diobolares conſcripſerunt: ab actorum diurnorum ſcriptoribus laudes pretio, humilique adulatione, ſed magis nummulo aureo (nam Dea Moneta parum eis fauere dicitur) venales acceperunt. quotusquisque autem eorum tum non hac ſuaui perſuaſione fruitur, vt, ſi ante ſummos viros non numeret ſe, at plane poſt Caſaubonos, Heinſios, Hemſterhuſios. Quorum hominum faſtum, niſi omni cum pudore bonam mentem eiurauerint, eodem modo forte comprimi poſſe puto, quo Socrates olim Alcibiadis, opulenti iuuenis, ſpiritus fregit. Hic cum ob aliquot

agros,

agros, quos Athenis habebat, valde ſibi felix videretur, Socrates tabulam adferri iuſſit, in qua totus orbis deſcriptus. Tum, vbi Attica, quaerere coepit: quam cum vix aliquot atomis maiorem inueniſſet, porro, vt agros ſuos monſtraret, poſtulauit. Erubuit homo et prope lacrimas miſit. Illorum igitur quenquam ſi in Capitolium illud aeternitatis auguſtumque litterarum ſacrarium, conditum in hac vrbe, et plurimis optimisque omnis aeui generisque libris incredibili cura et liberalitate ſummi Munchhuſii repletum, ſi illum igitur huc duxeris, ſi oſtenderis eam librorum multitudinem, enarraueris plurimorum auctorum nomina, et quaeſiueris deinde, quantillam particulam omnium, qui exſtent, librorum, quorumque magnum numerum hic collectum videat, eſſe putet *Programmata* ſua *Antiquario-Philolo-*

*gica* aut libellos ſuos ſcholaſticos? Nonne credibile eſt, iſtum aliquid remiſſurum eſſe ex faſtu paedagogico? Hos vero, vt eo redeam, in interpretatione poetarum, in iudicio de virtutibus ſcriptorum ferendo, quid putas dicere atque agere? Memini me legere, Erythraeum librum de poetica et perfecto poeta ſcribendi conſilium habuiſſe. Quam vero putas me toto corpore cohorruiſſe, qui recordarer, eſſe hunc eum Erythraeum, qui in Virgilii Aeneide vltra bis mille alliterationes (ita vocat plurium vocum ab eadem littera incipientium conſecutionem) numerauerit, et totum de alliteratione librum ſe ſcripturum eſſe promiſerit. Huius vero, diligentis et induſtrii viri, quis enim negat? ſed talem hic non quaerimus; huius igitur quot habuit patrum, quot habet noſtra aetas ſimiles! Sit mihi ille,

qui

qui poetarum arbiter eſſe, haberique cupiat, ipſe poeta, aut, ſi in hac re inuidia naturae accuſanda eſt, quae non omnia vni tribuat, ingenio certe ſit poetico inſtructus, quod et venuſtatem amet, et facile incaleſcat, et abſentium rerum imagines bene concipiat, ſibique res, voces, actus ſecundum verum optime fingat: pectus vero habeat molle, quodque, ſicut molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium fingimus et formamus, facile eos, quos poeta excitare vult, in ſe motus accipiat. Placebit mihi, placebit vehementer, quem illacrymantem fatis Oedipi, Didonis, Priami offenderim: cui ſereno et hilari vultu Theocritum aut Anacreontem legenti ſuperuenerim: quem aliquid altum ſpirantem ab Homeri et Miltoni lectione diſcedere viderim. Vtilis eſt plurimarum rerum ſcientia, neceſſaria

 eſt

eſt eruditionis accuratae copia. Sed non ſunt in ea omnia poſita. Quem miror in Exercitationibus Plinianis copioſiſſimae eruditionis opes effundentem, eum, cum Carolum primum defenderet, indignor, ſat lepide in re graui de Britannis dixiſſe, regum capita eos quaſi pilas habere, de coronis quaſi trocho ludere, non pluris facere ſceptra imperialia, quam bacula morionum capitata, et viliores ſordidis ac laceris pannis ſummorum magiſtratuum infulas ducere [1]). Habitet aliquis in veterum ſcriptis: omnium Deorum, conſulum, caeſarum nomina, genus, res geſtas memoria idem comprehenderit:

*vno ſe pectore cuncta vetuſtas*
*Condiderit.*

Semper

1) in Defenſion. Regia p. 16.

Semper tamen intelligetur, quam vere dixerit Bentleius [2]): permultum interpretis intereſſe, iudicium ſimul afferat, an ſolam eruditionem [3]). Vt de numeris muſicis iudicemus, non ſatis eſt, omnes Pythagoricos numeros, totam Mattheſoni, aliorumque ſubtilem diſciplinam tenere: non ſufficit ex mathematicorum ratione de ſonis eorumque



2) in not. ad Horat. Carm. Saec. 68. p. 355.

3) *Permettez moi, de vous repréſenter, qu'aujourdhui même encore ce ne ſont point les Schrevelius, les Peraredus, les Menagius, ni, pour me ſervir des termes de Moliere, les Savans en us, qui goûtent davantage Homère, Horace, Virgile, Ciceron.* Lettre de Boileau a Perrault. p. 238. T. II. (ed. Amſtel. fol.) conf. Du Bos Refl. ſur la poeſ. & peint. P. II. c. 22. & ill. Hagedorn *in Betrachtungen über die Mahlerey.* P. I. c. 5. p. 52. ſequ.

natura disputare: ipsi aures a natura nacti simus oportet, quae, quid asperum, quid molle, sentiant. Iuuat vero, quae hactenus dicta sunt, illustri aliquo exemplo illustrare, praesertim, cum non alienum illud fore existimem ab Homero nostro, cuius causa totum hoc scribendi consilium a nobis captum esse nosti. Saepius agitata variis dissentientium inter se doctorum contentionibus est, sed, quantum equidem scio, parum illustrata ea quaestio: an liceat nobis profanorum hominum de Deo rebusque diuinis opiniones in carmine adoptare? Aliorum animos oppresserat superstitio quaedam, eorumque imbecillitatem occupauerat: alii non satis idonei iudices de elegantia versuum erant: omnes, qui super hac re aliquid in litteras retulerunt, praeterierunt pictores et statuarios, quorum multo maiorem

esse

eſſe rationem in hac re habendam, quam aliquis exiſtimauerit, apparebit ex iis, quae diſputare animus eſt. Vbi quae fortaſſe liberius a me dicta eſſe animadverteris, ea Tibi ſoli dicta eſſe ſcito. Nam quam facile ex eiusmodi rebus inuidiam nobis paremus in tanta hominum multitudine contentionis, quam veritatis, cupidiorum, et omne, quod ſe a magiſtris ſuis de cathedra non audiviſſe recordantur, profanum exiſtimantium, non ignoro. Sed iacta eſto alea!

Iam primum duplex eſt ſcriptorum genus, qui profanorum doctrinam de Diis vſurpant. alii argumentum ſacrum tractant: aliorum verſus nulla cum Chriſtianorum doctrina cognatione coniuncti ſunt. Prodeant igitur primum illi, qui res ſacras canendas ſibi ſumant. Hi vero in mythologia et inuenient plurima, profanae doctrinae propria, et

quaedam animaduertent, omnium religionum communia. Ad ea pertinere vides multitudinem Deorum Dearumque, munera eorum, vitia, et ſcelera: porro doctrinam de regnis inferis, de poenis praemiisque hominum poſt mortem, et plura alia, quae quid attinet verboſe recenſere? Haec igitur plane abeſſe volo a carmine, cuius argumentum e religione Chriſtiana repetitum eſt. Impium alii eſſe hoc dicent, nec ſine ratione dicent. Ego, qui mitior in omnibus iudex ſum, ineptum eſſe dico, vera falſis hoc modo miſcere: non decere, humilitatem profanorum Deorum maieſtati illius doctrinae addere, quae ſuis ornamentis, proprioque ſplendore ſatis nitet, alienis non opus habet: ridiculum fere eſſe, modo veriſſima praedicare, modo vana ſomnia et inanes ſpecies proferre: immo fieri non poſſe,

vt in vno argumento res ipſa ſua natura diuerſae, quarumque altera abhorret ab altera quam longiſſime, coniungantur: videri potius eas inuicem ſe obſcurare et tollere. Peccarunt tamen hac parte complures recentiorum poetarum, quorum exempla addam. Antiquior reliquis eſt Nonnus in Metaphraſi in Iohannem, qui ſaepe ſatis inepte ſacra profanis miſcuit, iure hoc nomine notatus 4) a Daniele Heinſio. Vbi Iohannes ſimpliciter Lazarum a morte reſuſcitatum eſſe memorat, capitalis interpres fruſtra, addit, Plutonem apud Lethen mortuum elapſum inueſtigaſſe 5).



4) in Exercitat. Sacris p. 246. et p. 50. ed. Lugd. 1627.

5) p. 130.

*Ἀΐδης δὲ μάτην παρὰ γείτονι Λήθῃ*
*Πανδαμάτωρ ἀδάμαστον ἐδίζετο νεκρὸν ἀλήτην.*

Quae libertas in interprete alieni carminis multo magis reprehendenda eſt, quam in auctore. Sed habet Nonnus plura, quae, homini non fauiſſe Muſas, clare oſtendunt, quem Ioſephus Scaliger 6) ita ſe legere dicit, vt mimos ſpectare ſoleamus, qui nulla alia re magis delectent, quam quod ridiculi ſint. Hunc excipiat Actius Syncerus Sannazarius, cuius carmen de partu Virginis ab omnibus laudari, a paucis legi, ſed ab iisdem celebrari, quoniam idem iudicium olim a magiſtris ſuis audiuerunt, exiſtimo. Libere dicam, quod ſentio. Praeter ſermonis Latini elegantiam, nihil in eo carmine, quod multa laude dignum ſit, inuenio. Parum aut nihil potius finxit: hiſtorico ſimilior, quam poetae: complures verſus Virgilio ſurripuit, multos palam fu-

ratus

6) Epiſt. III. 531.

ratus eſt: ſimilis Virgilio, ſed vt ſimia homini, non, qualem boni imitatoris faciem eſſe cupio, vt filius patri: vt in Libro tertio, vbi puerili fere imitatione totam Eclogam IV. expreſſit, atque a paſtoribus Iudaeis, id quod acutiſſime finxit, recitari iuſſit. Quam multa vero ſunt, quae iure diſplicere debeant! Huc pertinet in Libro II. ambitioſa eruditionis oſtentatio, vbi omnes imperio Romano ſubiectos populos enarrat. quod moleſtum eſt lectori, nec in tam paruo carmine apte dicitur, quod in Aeneide aut Iliade locum habet. Quaſi etiam nihil aliud reſtet, per verſus XXVII. celebrat aſinum et bouem, qui Chriſtum natum venerati:

*Fortunati ambo* —

*Ergo dum refluo ſtabit circumdata fluctu*

*Terra parens, dum praecipiti vertigine coelum*
*Voluetur: Romana pius dum templa ſacerdos*
*Rite colet, veſtri ſemper referentur honores* 7).

Quid vero credis Ioſephum dicere? licet Iudaeum eum, licet omnis eruditionis expertem fuiſſe, vel puer ſciat, ſatis tamen docte incipit:

*Sancte puer, non te Phariis operoſa columnis*
*Atria, non variata Phrygum velamina textu*
*Excepere* —

Hercle! credere poſſet aliquis, Latinorum poetarum carmina diligenter legiſſe

7) non dicam, ridiculam eſſe totam hanc de conſortio bouis et aſini fabulam, ortam e male intellecto loco Habacuci. vid. Caſauboni ad Annal. Baron. Exercit. II. p. 123.

gisse Iosephum. sed doctiora etiam audiamus:

*— — haec vndique magni*
*Antra petent populi, longe quos caerula Calpe*
*Littore ab occiduo, nigrisque impellet ab Indis*
*Sol oriens, quos et Boreas et feruidus Auster*
*Diuerso inter se certantes cardine mittent.*

Quid? geographiae doctorem, nec eum vulgarem mihi audire videor. Sed nonne omnis haec eruditio alieno maxime loco effusa est a poeta, qui, vt multi alii, nesciuisse videtur, eruditionem in loco negligere, esse interdum virtutem. Male apud Claudianum 8) Proserpina a Plutone rapta clamat:

*Mater*

8) de Rapt. Proserp. L. II. 268.

*Mater io, ſeu te Phrygiis in vallibus Idae*
*Mygdonio buxus circumſonat horrida cantu,*
*Seu tu ſanguineis vlulantia Dindyma Gallis*
*Incolis, et ſtrictos Curetum reſpicis enſes,*
*Exitio ſuccurre meo.*

Eſt proprium hoc Claudiani vitium, Mythologiam vbique oſtentare et inculcare. Quam venuſte contra Ouidius eandem rem deſcribit his verſibus 9).

*Dea territa moeſto*
*Et matrem, et comites, ſed matrem ſaepius, ore*
*Clamat. et, vt ſumma veſtem laniarat ab ora,*
*Collecti flores tunicis cecidere remiſſis.*
*Tanta-*

9) Metamorph. V, 396.

*Tantaque ſimplicitas puerilibus ad-*
*fuit annis:*
*Haec quoque virgineum mouit iactura*
*dolorem.*

Miror profecto, eruditiſſimo Geſnero [10]) in hac querela Proſerpinae placere potuiſſe Claudianum prae Naſone, quem dicit nimis puellam facere Proſerpinam. Mihi quidem ſimplicitatem puellae et innocentiam, quae vnice amabat flores collectos, nullum alium amorem nouerat, hoc detrimentum putabat maximum, Ouidius optime illis verſibus depinxiſſe videtur. Ob affectationem doctrinae diſplicet etiam aliquoties magnus Miltonus, inprimis vbi catalogum ventorum [11]) monſtroſis verbis contexit, atque vbi barbaris regionum terrarumque nominibus plenos moleſtosque

10) in notis ad Claudian. T. II. p. 567.
11) *Parad. loſt.* X, v. 696.

leſtosque verſus lectori obtrudit [12]). Diſplicet etiam apud Vidam illa Hebraicorum nominum ingrata copia et moleſta Iudaicarum vrbium recenſio [13]), qui, licet ipſe praeceperit:

*Sunt, qui, vt ſe plurima noſſe*
*Oſtentent, pateatque ſuarum opulentia rerum,*
*Quicquid opum congeſſerunt, ſine more, ſine arte*
*Irriſi effundunt, et verſibus omnia aceruant —*
*Ne pueri, ne talem animis inducite morem,*
*Nec vos decipiat laudis tam dira cupido* [14]).

ipſe tamen ſua praecepta neglexit. Quae omnia ſi conſideraueris, quam vere dixerit

12) Ib. L. XI, a v. 387.
13) Chriſtiad. L. II. p. 53. ſequ.
14) Poet. II. p. 271.

dixerit Quintilianus, intelliges: Qui ſtultis videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur [15]. Verum de his alio erit tempore commodior dicendi locus. Illud nunc nobis eſt propoſitum, vt Sannazarium oſtendamus male profana ſacris miſcuiſſe. Primum natales Chriſti ſibi narrari, et doctrinae myſteria aperiri vult a Muſis, licet ipſe videat, ſe canere,

*Caſtaliis quae nunquam audita ſub antris,*
*Muſarumue choris celebrata, aut cognita Phoebo.*

Quae cum ita ſint, cur Muſarum opem implorat?

*Nec minus, o! Muſae, vatum decus, hic ego veſtros*
*Optarim fontes, veſtras, nemora ardua, rupes,*

*Quando-*

15) Inſt. Or. X, 7, 21.

*Quandoquidem genus e coelo deducitis, et vos*
*Virginitas ſanctaeque iuuat reuerentia famae.*
*Vos igitur ſeu cura poli, ſeu Virginis huius*
*Tangit honos, monſtrate viam, qua nubila vincam,*
*Et mecum immenſi portus recludite coeli:*
*Magna quidem, magna, Aonides, ſed debita poſco,*
*Nec vobis ignota: etenim potuiſtis et antrum*
*Aſpicere et choreas* etc.

vbi fortaſſe etiam mirum alicui videbitur, virgines Muſas comparari cum virgine Maria. Quanto rectius Hieron. Vida initium Chriſtiados ab illius inuocatione fecit, qui vati in eiusmodi carmine

mine maior Apolline, totoque Helicone esse debet:

*Qui mare, qui terras, qui coelum numine comples,*
*Spiritus alme, tuo liceat mihi munere regem*
*Bis genitum canere.* —
*Fas mihi, te duce, mortali immortalia digno*
*Ore loqui etc.*

Idem etiam alio loco, vbi felicitatem, Christi morte reparatam, canere incipit:

*Aura, veni afflanti Patris omnipotentis ab ore,*
*Aura, potens coeli numen, superumque voluptas etc.* [16])

In Sannazarii vero carmine reliqua tali principio respondere, facile suspicari potes.



16) L. VI. p. 202.

potes. Orditur vero narrationem ita, vt dicat, summum Deum e coelo vidisse

*Vndique collectas vectari in Tartara praedas,*
*Tisiphonemque imo conantem cuncta profundo*
*Vertere, et immanes stimulantem ad dira sorores.*

Post plures versus famam inquit ad inferorum regna descendisse:

*Optatum aduentare diem, quo tristia linquant*
*Tartara, et euictis fugiant Acheronta tenebris*
*Immanemque vlulatum, et non laetabile murmur*
*Tergemini canis: aduerso qui carceris antro*
*Excubat insomnis semper, rictuque trifauci*

Horren-

*Horrendum, ſtimulante fame, ſub nocte profunda*
*Perſonat, et morſu venientes adpetit vmbras.*

Operae vero pretium erat, Cerberi formam per quatuor verſus deſcribere, quam quis eſt antiquorum poetarum, qui non decantauerit?

*Cui non dictus Hylas?*

Non ſolum igitur ineptus eſt totus locus, ſed taedium etiam moleſtiamque adfert lectori. Omitto alia. Prae caeteris eminent hi verſus:

*Tunc variae peſtes, et monſtra horrentia Ditis*
*Ima petant: trepident, Briareia turba, Ceraſtae,*
*Semiferumque genus, Centauri et Gorgones atrae*

 Scyllae-

*Scyllaeque, Sphingesque, ardentesque ore Chimaerae,*
*Atque Hydrae, atque canes, et terribiles Harpyae.*

quaſi nihil aliud fuiſſet, quo carmini decus et nitor conciliaretur, his nominibus verſus conſarcinauit. Quod vero omnem ſtultitiam ſuperat, Proteus:

*Caeruleus Proteus:* mendax ſi caetera *Proteus*,
*Non tamen hoc vanas effudit carmine voces*,

omniaque, quae Chriſtus modo natus acturus in orbe ſit admiratione digna, vaticinatur. vbi prorſus indignor poetae, qui, cum adeſſent tot auguſtae animae, quibus hae partes cum ſumma dignitate dari poterant, ad Protea confugerit. Nam quod Valentinus Odoricius

cius [17]) nobis perſuadere vult, longe aliud dixiſſe, aliud poetam intelligi voluiſſe, ea defenſio et inepta eſt, et, vt quem antea lapſum eſſe, nunc inſaniviſſe poetam, exiſtimare liceat, efficit. Mihi non magis illud ridiculum videtur, quam quod dicunt, in Luſitani poetae, Camoenſii,carmine, quo Indiam imperio adiectam Europaeorum canit [18]),



17) in Commentar. in Sannazar. poem. (Venet. 1593.) p. 104. In *Protei, inquit, perſona illud notandum eſt, poetam non ad fabuloſum antiquorum Deorum, ſed ad nominis Etymologiam reſpexiſſe, a protean* (προθεῶν) *enim verbo Graeco deducitur, quod prouideo ſignificat;* (*vt*) *haec omnia diuina prouidentia facta eſſe demonſtret et antiquis vatibus inde praemonſtrata.*

18) *Louis de Camoens Luſiadas.* (Madrid 1639) *La Luſiade, poeme heroique ſur la decouverte des Indes Orientales traduit du Portugais par Duperron de Caſtera.* Paris. 1735.

vbi Gama in tempestate Christi auxilium implorat, et Venus opem fert, et in quo falsa veris, sacra profanis mixta esse narrant, sub Veneris persona Mariam, sub Martis Christum, sub Bacchi malum ex inferis genium latere [19]. Quare recte, dicamus, Iulium Caesarem Scaligerum de Sannazario iudicasse [20].

Italo

19) conf. *Voltaire Essay sur la poesie Epique. c. 6.* p. 343.

20) in L. VI. Poet. p. 314. (ed. Paris. 1561.) *Praeterea Musas quid attinet admiscere? nam et numina ethnica sunt et ficta atque etiam a poetis* (sed a quibus, vir bone? an a bonis?) *prostituta. — quos vero fontes optat aut quas rupes? vnus fons Iesus, vna rupes crux, a quibus deducere debuit venam suam — ridiculum vero, poetam, vnius Dei concentorem, apposuisse illa: spes fida Deorum. nam quorum Deorum spes fida est semper virgo? — neque prudenter posuit in virginis manibus libros Sibyllinos:*

Italo poetae addamus alios Italos. quorum primus Dantes quam varium nobis dedit Virgilium, quo comite ſe et coelum et infera loca luſtraſſe fingit! modo ille Chriſtianus, modo profanus eſt. Petrarcha Amorem curru ſuo Helenam, Hermionem, Iunonem, Iouem, Abrahamum, Iacobum, Dauidem, Salomonem, captiuos trahere videt. Apud Arioſtum Deus per Stygem iurat, atque Aurora ex vlnis mariti, cuius valde



*byllinos: potius Iſaiae — a ſomniis quoque Briarei et Centaurorum et Gorgonum et Scyllae et Sphingis et Chimaerae et Hydrae et Harpyarum abſtinendum fuit. nec dignam duxerim Orgiorum vocem, quam interſererem veris Dei rebus:* Longaque perpetuis indicimus Orgia faſtis — *ceterum eiusce praedictionis nemo ſanus Proteum fecerit auctorem: quot prophetae in illius fluminis ripis extitere, quibus ea pars diuinorum officiorum tribuenda fuerat!*

aetate prouecti eam post tot annos nondum fastidium cepit, discipulum Christo charum videt. In Marini carmine de amore Veneris et Adonidis, Venus Asiam percurrens lacrymat doletque, aliquando Saracenos potituros esse amoenis regionibus et lunam super reliquiis crucis erecturos. Plurima eiusmodi possem referre ex altero carmine de caede infantum [21]), si liber haec scribenti ad manus esset. Dabo igitur quaedam e Tassi carmine de Hierosolymis liberatis. Inuocat quidem poeta Musam [22]) „quam non caducis lauri foliis caput cingere, dicit, quae in Helicone decerpantur, sed quam in „coelo

21) *La Strage degli Innocenti.*

22) C. 1. St. 2.

*O Musa, tu, che di caduchi allori*
*Non circondi la fronte in Elicona;*
*Ma sù nel Cielo infra i beati chori,*
*Hai di stelle immortali aurea corona;* —

coelo aurea corona e ſtellis inter coe-„ leſtes choros ſplendere addit„ ſed eandem tamen auguſtam et ſanctam Muſam orat,[23]) "vt ſibi ignoſcat, ſi ve-„ ritati hiſtoriae aliena ornamenta adii-„ ciat[24]): ſcire eam, quo magis orna-„ tum illis deliciis opus, eo vehemen-„ tius placere lectoribus: minus autem„ nudam veritatem: ita ſolere, qui pue-„ ris abſinthia tetra dare conentur, me-„ dicos„

23) Ibid.

— — *e tu perdona,*
*Se inteſſo fregi al ver; s'adorno in parte*
*D'altri diletti, che de' tuoi le carte.*

24) *Sai, che là corre il mondo, ove più verſi*
*Di ſue dolcezze il luſinghier Parnaſo;*
*E che'l vero condito in molli verſi*
*I più ſchivi allettando hà perſuaſo.*
*Così all'egro fanciul porgiamo aſperſi*
*Di ſoavi licor gli orli del vaſo;*
*Succhi amari ingannato intanto ei beve,*
*E dall'inganno ſuo vita riceve.*

„ dicos prius poculorum oras dulci flauo-„ que mellis liquore inficere". Nefcio autem, an Taffus multum hac defenfione profecerit. Poterat omnino aliis rebus narrationem exhilarare, quae decerent carmen ex religiofo argumento compofitum: non debebat ea, quae abhorrerent ab illo, affumere. Deinde quid fpectat poeta in inuocatione Mufarum aliud, quam, vt fibi narrari ab iis velit, quae ipfe nefciat, fuaeque narrationi veritatis fpeciem hac ratione conciliet. Taffus vero hac profeffione videtur fibi ipfe fidem detrahere. Omittere profecto debebat praeter alia, quae Racinius [25]) notauit, illum locum, vbi de inferis regnis loquitur, atque ibi Harpyias, Centauros, Gorgo-

25) *Reflexions fur la poefie* T. V. p. 12. adde p. 31. et Voltarium l. c. c. VII. p. 395. adde *Rapin Reflexions fur la poetique.* II, 13. p. 173.

Gorgonas, Sphinges, Scyllas, Chimaeram, Polyphemum, Geryonem esse dicit [26]). Meministi, me supra simillimum dare Sannazarii locum. Vterque, credo, hoc vitium nimio veteres poetas imitandi studio commisit. Quae enim similitudo maior esse potest, quam quae inter versus Sannazarii Tassique et illos Virgilianos [27]):

*Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,*
*Et centumgeminus Briareus ac bellua Lernae*
*Horren-*

26) C. IV. St. 5.
*Quì mille immonde Arpie vedresti, e mille*
*Centauri, e Sfingi, e pallide Gorgoni:*
*Molte e molte latrar voraci Scille,*
*E fischiar Idre, e sibilar Pitoni,*
*E vomitar Chimere atre faville,*
*E Polifemi orrendi e Gerioni.* —

27) Aen. VI, 286.

*Horrendum ſtridens, flammisque armata Chimaera,*
*Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis vmbrae.*

Ouum ouo non tam ſimile. Noui, quid quidam ad Miltonum defendendum protulerint, et quomodo eos verſus, vbi mythologiae indulſiſſe videtur, interpretati ſint. Sed licet haud facile cuiquam in amando, laudando, colendoque poeta concedam, cuius ingenio vix quicquam maius recentiora tempora vidiſſe puto, licet etiam deteſter calumnias et inconditos clamores vtriusque Lauderi (nam Anglia alterum habuit, alterum habet Germania): quibusdam tamen in locis non defendi poſſe poetam, inuitus fere, ſed veritatis amore ductus, profiteor. Quis, vbi dicit, nunquam Pana, Syluanum, Faunos, Nympham, amoenioribus in locis dormiuiſſe,

quam

quam Euam [28]): hanc fuiſſe pulchriorem Pandora, ſed ſimilem illi in triſti fato, vbi etiam Hermetis, Epimethei et Promethei mentio fit [29]): non amoeniorem fuiſſe Paradiſo Ennam, vbi a Plutone Proſerpina rapta, quam deinde Ceres toto in orbe quaeſiuerit, non fontem Caſtalium [30]): ſerpente illo non pulchriorem fuiſſe eum, in quem Cadmus et Hermione mutati, neque eum, cuius formam Iupiter Ammon induerit [31]), quo in libro etiam Euam cum Delia comparat, quis igitur haec defendere audeat? His in locis non, quod alias facit, vt eſt in fabulis, vt poetae aiunt, aut alia eiusmodi addit, quibus excuſari illa poſſunt. Nude igitur

28) *Parad. loſt.* L. IV, 705.

29) Ib. 714.

30) Ib. 268.

31) L. IX, 504. add. Racinium l. c. T. VI, p. 85.

igitur poſita, quaſi certa illa eſſent et vera, nonne cum diuinis male comparauit? Ne longior ſim, duo tantum exempla addam. Eſt Tragoedia Buchanani, Baptiſtes, inſcripta 32). in qua quod Ioannes dicit,

*Noctem Diana, Phoebus incendit diem*
*Et inquieta luſtrat orbem lampade,*

fero. in latino ſermone nullum habent haec alium ſenſum, quam ſi ſolis aut lunae nomina poſuiſſet. Nullo vero modo defendi poſſunt, quae Chorus Iudaeorum dicit:

— *at male conſcios*
*Manes exagitant, ſulphureo in lacu*
*Crinitae colubris Eumenides nigris,*
*Et ieiuna auidi guttura Cerberi,*
*Et nunquam ſaturi copia Tantali.*

Talia

32) in edit. Oper. Buchan. Edimburg. 1715. T. II. p. 19.

Talia ſi a Iudaeo dicta eſſe, nobis Buchananum perſuadere voluiſſe legimus, recordamurque, in Rebecca (hoc eſt nomen fabulae) Nicodemi Friſchlini Iſmaelem per Caſtorem iuraſſe 33), non vnam ob cauſam riſum tollimus. Pari modo peccauit Heinſius in tragoedia, quam de Herode infanticida compoſuit, et in qua Furiarum partes ſunt. Noui quidem, contra ea, quae veriſſime humaniſſimeque Balzacius diſputat 34), Heinſium ſe ita defendere, vt dicat 35), non furias Deas eſſe, ſed affectus, non ad religionem quidquam facere, ſed ad terrorem:

33) vid. Io. Pincieri Parerga Philol. L. II. c. 44. p. 299.

34) v. *Diſſertation ſur une Tragœdie intitulée:* Herodes Infanticida. *dans les œuvres de Balzac.* (Paris 1665. fol.) T. II. p. 530.

35) Ibid. T. I. p. 463.

terrorem: vitia, virtutes, et affectus omnium populorum esse communia: sibique nihil aliud propositum fuisse, quam vt personam et corpus daret affectibus. Verum illud etiam noui, non posse fieri, vt Iudaeus animi affectus eo habitu pingat, quo Graeci et Romani, vt ea nomina iis imponat, quae alienae religionis propria: non illi in mentem venire potuisse imaginem Megaerae, aut Tisiphones: non magis ferendum esse poetam, qui Iudaeum talia dicere iubeat, quam qui eundem Romana toga indutum in theatrum producat. Sunt, quod vnum addendum est, quaedam profanae superstitionis propria quidem, sed quae vsu tamen et consuetudine quasi naturam suam exuerunt. Nam et Neptunum dicunt pro mari, et Cererem pro pane, et Vulcanum pro igne, et Lyaeum pro vino. In his,

licet originem ſuam ſuperſtitioni debeant, tamen amiſſa fere eſt, vt ita dicam, prima vis et abolita: carmini vero Latino non exiguam elegantiam eadem conciliant. Quare immerito puto accuſari Hier. Vidam, qui poſtea quam de communione euchariſtiae a Domino noſtro inſtituta expoſuerat, addit:

— *ex illo mox ſeruauere minores*
*Hunc ſemper ritum memores, ariſque ſacramus*
*Synceram Cererem et dulcem de vite liquorem* 36).

Verbum *panis* procul dubio vilius poetae viſum pro carminis heroici nobilitate, imitarique Vida voluit Virgilium:

*Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris*
*Expediunt* 37).



36) Chriſtiad. L. II. p. 66. (ed. Baſil. 1537.)
37) Aen. I, 701.

Syllabarum ratio etiam admittit: *panemque.* Sed multum amittere verſum, quis non intelligit? Illud Romanae aures honeſtius iudicabant. Inde idem Vida alio loco 38) de Chriſto:

*Inde in fruſta ſecat laeto Cerealia vultu*
*Liba minutatim, et populos partitur in omnes.*

In his mos gerendus eſt legibus ſermonis Latini 39), quas ne Sigismundo quidem, Imperatori, ſi fabula vera eſt, tollere licuit. Intelliges ex his, quae dixi, quid a pictoribus obſeruari velim. Quod Monachum *) reprehendimus, qui Verſaliis *Herculis* apotheoſin pinxit, atque ad *Herculem* Fleureum reſpexit, hoc

38) Ib. p. 133. L. IV.

39) vid. Menagii notas ad carmina Malherbii. p. 278.

*) *Le Moine.*

hoc eadem de caufa facimus, qua duo leones, gallum difcerpentes, palatio Bleinhemenfi in Anglia additi nobis difplicent. Longe vero alia de caufa vituperamus magnum illum Michaëlem Angelum, qui in pictura iudicii extremi Minoem et Charontem cum cymba aliis immifcuit, quod profecto non magis decet illam tabulam, quam hiftoria Ganymedis et Ledae aeneas fores templi Romani Petrini. In illa Polygnoti tabula, quae Vlyffem ad inferos defcendentem habebat 40), illa omnia comparuiffe legimus, quae fabulis veterum conuenerunt. quas quomodo repetere licuit in tabula, augufti illius et decretorii diei, quo fummus veritatis erit honor, nullum fabularum veftigium, imaginem habente? Pro Pouffino tamen, qui in pictura Mofis feruati fluuio Nilo hu-

 manam

40) Paufan. L. X. c. 28. p. 866.

manam formam dedit, multa puto, nec fine probabilitatis fpecie,dici poffe: quae aliis permitto. Videant etiam illi, quid de Georgio Vaffario iudicari debeat, qui Hieronymum pinxit, Chriftum, cuius cruci affixi imaginem adfpectat, adorantem, manuque pectus tundentem: Venerem vero cum Cupidine et Ioco fugientem, humique iacentes pharetram et fractas fagittas [41]. Venio ad alteram mythologiae partem, qua ea comprehendo, quae non ita inepta, ridicula, falfa, impia, vno verbo, fuperftitionis propria funt, quin a veri Dei cultoribus vfurpari poffint. Huc refero pulcherrimas defcriptiones diuinae fapientiae, potentiaeque, fublimes diuinae maieftatis imagines, praeclarasque de rebus coeleftibus fententias: quarum

41) *Sandrart Teutfche Academie &c.* P. II. p. 179.

rum eſt ſaepe ea praeſtantia, ea ſublimitas, vt vix in mortalium, qui a veri Dei cultu alieni, animos cadere potuiſſe videantur, quibusque apta imitatione exprimendis ſummum carmini decus poeta conciliabit. Lubet, quid ſentiam, vno exemplo, eoque, niſi me omnia fallunt, luculentiſſimo, oſtendere.

*Huc vultus flecte atque aude ſpectare Tonantem.*
*Quas hiemes, quantos concuſſo vertice cernes*
*Sub nutu tonitrus!* *)

Quid poteſt maius, ſublimius, digniusque Numine diuino dici illis Homericis: Iouem annuiſſe nigris ſuperciliis, concuſſiſſe diuinam caeſariem capitis immortalis regem hominum atque Deûm, et totum tremefeciſſe olympum?



*) *Sil. It.*

pum 42)? Quorum verſuum magnificentiam, quam etiam difficilior in his Clemens Alexandrinus profeſſus eſt 43), ſiue ſententiae, ſiue verborum numerique maieſtatem ſpectemus et ſublimitatem, non laudare, ſed admirari debemus. Vere Pomponius Gauricus 44), nonne, inquit, ipſum prope Iouis imperium maieſtatemque verbis ipſis effinxiſſe videtur? Apparet etiam hinc, quam vere optimus pictorum ab antiquis Homerus appellatus ſit.

42) Il. A. 528.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος,
Κρατὸς ἀπ᾽ ἀθανάτοιο· μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

43) Admonit. ad Gent. p. 20. ed. Colon.

44) de ſculptura. p. 740. in Vol. IX. Theſaur. Gronou.

ſit [45]). Quare factum eſt, vt veteres poetas certatim illos verſus imitatos eſſe videamus. Apud Virgilium [46]) Iupiter

*Annuit, et totum nutu tremefecit olympum,*

et apud Ouidium [47])

*Celſior ipſe loco, ſceptroque innixus eburno,*
*Terrificam capitis concuſſit terque quaterque*
*Caeſariem: cum qua terram, mare, ſidera mouit.*



45) Lucian. Imag. p. 466. edit. Reit. add. auctor. libri περ. Ὁμηρ. ποιήσεως. p. 81. ed. Barn. εἰ δὲ καὶ ζωγραφίας διδάσκαλον Ὅμηρον φαίη τὶς, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι. κ. λ.

46) Aen. XI, 115.

47) Metam. I, 178.

atque alio loco 48)

*Ille pater rectorque Deûm, cui dextra trisulcis*
*Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.*

Breuiter Horatius 49), sed grauissime:

*— Iouis,*
*Clari giganteo triumpho,*
*Cuncta supercilio mouentis.*

Optime Claudianus de Ioue in primo aeuo 50):

*Lanugine nondum*
*Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant*
*Moturae conuexa comae.*

et alio loco plenus dignitate diuina Iupiter iurat 51):

*Hoc*

48) Ib. L. II, 848.

49) III, 1, 6.

50) de IV. Conf. Honor. 200.

51) de Rapt. Proserp. III, 65.

*Hoc ſanctum. manſura fluant hoc ordine fata.*
*Dixit, et horrendo concuſſit ſidera motu.*

Quid eſt in hac imagine, quod indignum ſit vero illo et immortali Deo? immo quomodo melius mortali ab imbecillitate illius maieſtas concipi et pingi poteſt? Transtulerunt igitur bene Chriſtiani poetae Homericos de Ioue verſus ad ſuum Deum. Nam, vt ex iis, qui Latino ſermone vſi ſunt, vnum tantum nominemus, Hier. Vida [52]) inquit:

*Sic ait, et moto tremefecit vertice mundum,*
*Terrifico quatiens tonitru coeleſtia templa.*

et

52) Chriſtiad. Lib. V. p. 186.

et alio loco idem:

*Hic tum nimbipotens Genitor circum-*
*tulit ora,*
*Ter torquens illuſtre caput, ter car-*
*dine moto*
*Terribilem increpuit ſonitum* 53).

Magnifice, vt ſolet, Taſſus 54): „haec „locutus, caput mouit: contremuit la- „tum coelum, lumina errantia et fixa: „contremuit prae reuerentia aer, et „oceanus, et montes, et coecus abyſ- „ſus". Nec fruſtra hanc imaginem quaeres in pleniſſimo magnarum ſententiarum carmine Miltoni: „Ita ſuam „inter Deos voluntatem declarauit, con- „firmauitque iureiurando, quod totum

„con-

53) Ib. p. 184.

54) *Gier. lib. C. XIII.* 74.

*Così dicendo, il capo moſſe: e gli ampi*
*Cieli tremaro, e i lumi erranti e i fiſſi;*
*E tremò l'aria riverente, e i campi*
*Dell' Oceano, e i monti e i ciechi abiſſi.*

contremefecit ambitum coeli 55) „. Quam ſimilis etiam hac parte Britannorum Homerus Homero Graecorum: multo felicior futurus, ſi in quibusdam illi diſſimilis eſſe voluiſſet. Pro ingenii ſui elegantia, qua paucos habet pares, neminem forte ſuperiorem, vſus eſt eodem colore Voltarius: "aeter- „ nus Deus his precibus commotus, il- „ lius vota audita eſſe, dignum cen- „ ſuit, quem certiorem faceret. Diuina „ hac voce ſidera commota, terra con- „ cuſſa, foederati contremuerunt 56) „. Quibus

55) *Parad. loſt. II, 352.*

*— — ſo was his will*
*Pronounc'd among the Gods, and by an Oath,*
*That ſhook Heav'n's whole circumference, confirm'd.*

56) *Henriade. C X. p. 221.*

*L'Eternel à ſes vœux ſe laiſſa pénétrer,*
*Par*

Quibus addere potes illum, qui carmine epico effecit, ne hac partè cederet Germania aliis populis, eo loco, vbi Deum Deique filium hominum a pérnicie redimendorum ſalutem iure iurando pollicitos eſſe narrat 57). Quis vero hos poetas non ſummopere laudandos eſſe cenſeat, qui in profanorum hominum (nam non ſuccurrit aliud verbum, quo homines non Chriſtianos, inter quos profecto illuſtriſſima etiam ómnium virtutum exempla enituerunt, appellem) carmini-

*Par un mot de ſa bouche il daigna l'aſ-ſûrer,*
*A ſa divine voix les aſtres s'en branlèrent,*
*La terre en treſſaillit, les Ligueurs en tremblèrent.*

57) *Meſſias C. I.*
*Alſo ſprach er, und ſchwieg. Indem die Ewigen ſprachen,*
*Ging durch die gantze Natur ein ehrfurchtvolles Erbeben &c.*

carminibus, quid verum Deum deceret, viderint? Atque eiusmodi exempla plura possem proferre. sed nota Tibi illa esse scio. Quare ad ea progredior, quae de statuariis et pictoribus dicere constitui: quos quam plurima arbitror ex antiquis monimentis repetere posse, quae digna sint religionis nostrae veritate. Quae disputatio nostra si insolita forte visa fuerit, noli

*nouitate exterritus ipsa*
*Exspuere ex animo rationem: sed magis acri*
*Iudicio perpende, et, si tibi vera videtur,*
*Dede manus, aut, si falsa est, accingere contra.*

Primum volo, mihi a Te illud dari, quod negari non potest, esse horum artificum, ea, quae oculis adspicere nequeamus

queamus, tamen ſenſibus velut contrectanda praebere: immo eſſe eorundem, rerum imaginem dare, quarum aut nullam aut certe imperfectam admodum notitiam et cognitionem in animos hominum cadere conſtat. Quod quo melius digniusque illius rei magnitudine, quam proponere volunt, efficiunt: eo maiore laude digni ſunt. Noui quidem, quid Rubenſius in tabula, quae natiuitatem Chriſti exhibet, egerit. Coeleſtes genii alis ſublati, iis, quae in terra accidunt, laetari videntur: ſupra eniteſcit illud diuinitatis indicium, quod Gloriam vulgo dicunt, magnusque Cheruborum numerus adeſt, qui, ad nullam aliam rem attenti, eo oculos tollunt. Indicantem ſeſe et appropinquantem praeſentis Numinis maieſtatem, maluit, vt Timanthes, ſilentio, quam penicillo, indicare. Sed erit huic artificio non

vbique

vbique locus. Memini etiam, Leonardum Vincium, in tabula Mediolanensi coenae dominicae, desperasse, se Christi ori eam, quam optabat, quamque illi inesse debere credebat, maiestatem addere posse, atque ideo illud imperfectum reliquisse 58). Sed neque hoc quenquam imitari debere, liquet: quare pergamus. Inter omnia animalia, quae in hoc, quem nos incolimus, orbe versantur, nullius est forma praeclarior humana, siue erectam illam ad cognatum coelum faciem, siue membrorum compositionem pulchritudinemque spectemus 59). Neque igitur hac alia erit species dignior Dei maiestate, quam etsi exhau-

58) *Felibien Entretiens &c. P. I. p.* 170. confer *Richardson Traitè sur la peinture T. I.* p. 59. sequ.

59) Pluscula in hanc sententiam vide ap. Lucian. pro Imaginibus, sub finem.

exhaurire mortali non datum ſit, certe ita adumbrare decet, vt, quid omnium rerum humanarum maximum ſit, ſi quid eſt in hoc orbe magnum, adhibeat. Ipſe Deus ſibi manus tribuit, dorſum, naſum, pedes, in ſacris litteris, atque cum ipſe, tum e coeleſtibus geniis humana forma induti non ſemel apparuerunt quidam 60). Quae cum ita ſint, ſequitur, vt artifices talem animo concipiant atque aut penicillo aut coelo exprimant figuram, quae ſit omnium perfectiſſima, non ſingulos homines imitentur, ſed quid perfectiſſimum cogitari poſſit, ſibi proponant. Non iis, quae ante oculos ſunt, artifex contentus erit, ſed ad altiſſimum pulcherrimae formae gradum aſcendet. Mortali forma adſumta Venus apparet Aeneae quidem,

60) Geneſ. XVIII. et XIX. Apocalypſ. I, 13.

quidem, ſed habet tamen ſpeciem mortali ſanguine maiorem.

*O quam te memorem virgo? Namque haud tibi vultus*
*Mortalis, nec vox hominem ſonat: o Dea certe!* [61])

Ita igitur artifex ipſa natura quodammodo ſuperior ſummam effinget in animo formae praeſtantiam, (breuiter *idealem formam* dixeris) et in opere ſuo exprimet. Atque hoc eſt, quod ab iis, quorum artem antiqua aetas admirata eſt, factum eſſe conſtat. Non, quod ante oculos eſſet, expreſſerunt, aut e turba hominum quaelibet exempla imagini petiuerunt: ſed e multis pulcherrimis corporibus, quae praeſtantiſſima eſſent, elegerunt, atque in vno corpore coniunxerunt, et quam in animo informauerant, ſummam maieſtatis,

 nobili-

61) Aen. I. 331.

nobilitatis, pulchritudinis imaginem in ſtatuis et picturis reddiderunt; in quibus quam optime effingendis eos elaboraſſe, ipſe Clemens Alexandrinus [62]) fatetur. Atque quam diligenter haec ſpectauerint veteres, vel ex eo patet, quod Quintilianus dicit: eundem Polycletum, qui humanae formae decorem ſupra verum addiderit, reprehendi, quaſi non Deorum auctoritatem expleuerit [63]). Iouis Olympii ſtatua, a Phidia vſo verſibus Homericis, vt ipſe faſſus eſt, quaſi magiſtris, facta, tanta ſpectato-

62) Adhort. ad Gent. p. 41. C. ed. Colon.

63) Inſtit. Orat. XII, 10. 8. confer *Diſcours ſur le Beau-Ideal des peintres, ſculpteurs et poetes* par *L. H. ten Kate*, præfix. P. III. Richardſoniani libri. et *Winckelmann von dem Weſentlichen der Kunſt* in opere ſaepius laudando p. 140. ſequ.

ſpectatores admiratione impleuit, vt, Iupiterne ad terras, an Phidias ad aethera veniſſet, homines quaererent, vt in eleganti carmine dicitur [64]). Quantam maieſtatem prae ſe ferunt capita Iouis in numis Ptolomaei primi, et regis Philippi, atque Pyrrhi! Quantam Iupiter ille in aedibus Veroſpianis! Quantam Iouis tonantis imagines in ſtatuis et gemmis [65])! Ex ipſo prope modum coelo dixeris Iouis vultum petitum eſſe:

G 3 *ſua*

64) Anthol. IV, 6.
Ἦ Θεὸς ἦλθ᾽ ἐπὶ γῆν ἐξ οὐρανοῦ εἰκόνα δείξων,
Φειδία, ἢ σύ γ᾽ ἔβης τὸν Θεὸν ὀψόμενος;

65) v. imagines illas in libro egregio, *Polymetis or an Enquiry concérning the Agreement between the Works of the Romans Poets. by Spence. tab.* 1. adde in Muſeo Odeſcalco (Romae, 1727.) P.II. tab. 88. *Mariette pierres gravées.* P.I. t. 5. Muſei Florent. Gemm. T.I. tab.

*— sua quemque Deorum*
*Inscribit facies, Iouis est regalis imago* *).

Quare minime reprehendendum esse censeo Rubensium, qui Christum peccata hominum puniturum habitu Iouis tonantis cum fulgure in dextra manu proposuit: qualem etiam imaginem habet gemma Musei Richteriani 66). Memini quidem narrare Cedre-

tab. 52. *Recueil des marbres antiques, qui se trouvent dans le Galerie du Roi de Pologne à Dresde.* tab. VI. quibus quanto inferior est imago Iouis aenei in Museo Cortonensi tab. IV. (quae etiam exstat in Museo Etrusco P. I. tab. 19.) a Thusco artifice in ipsa artis infantia confecti (vid. Gorium in Obs. p. 76.) aliaeque imagines, vt: in Musellii Antiquit. Reliqu. (Veronae, 1756.) tab. VII. et alibi.

*) *Ouid.*

66) Tab. I. g. 1.

Cedrenum [67]), pictori, Chriſtum ad faciem Iouis pingere auſo, manum exaruiſſe, eumque facinus confeſſum a Gennadio propterea ſanatum eſſe: ſed nondum impetrare a me potui, vt bono homini fidem haberem. Ignoſcent mihi manes illius, ſi hanc hiſtoriolam eodem loco habendam eſſe profeſſus fuerim, quo Hieronymi (qui ſiue ſimplicitate quadam, ſiue, quod potius credo, fraude, cuius genus aliquod, quod pium vocabant, ea aetas adamauit, mentitus eſt,) auream fabulam habui, ſemper habeoque. Illum enim in ſomnio ad tribunal vocatum interrogatumque a iudice eſſe, quisnam eſſet, cumque dixiſſet, Chriſtianum ſe eſſe, Mentiris, illum reſpondiſſe: es Ciceronianus, eiusdemque iuſſu bonum patrem, verbe-



67) Compend. Hiſtor. p. 348. D. edit. Pariſ. 1647. T. I.

ratum valde, liuentes habuiſſe ſcapulas et poſt ſomnum plagas ſenſiſſe [68]).

*credat Iudaeus Apella:*
*Non ego.*

Sed haec, quae fortaſſe θεολογικώτερα videri poſſunt, pluribus perſequendi hic locus non eſt. Atque in hac re neſcio, cur nolimus vti iis, quae praeſtantiſſimorum artificum ingenio excogitata, manibus elaborata ſint, cum videamus quotidie quaedam in religioſis picturis, quae ſuperſtitio veterum inuenit, quaeque ſi omitterentur, non multum maieſtati imaginum detraheretur. Non licet nunc copioſius haec exponere. Recordare nimbum, quem Dei, Chriſti, eorum-

68) in Oper. T. IV. p. 258. conf. Chriſt. Aug. Heumanni progr. de ecſtaſi Hieronymi Anti-Ciceroniana: addit. orat. de tribus ſcholae finibus. Francof. et Lipſ. 1717.

eorumque, quorum praecipua eſt in doctrina noſtra auctoritas et ſanctitatis fama, capitibus plerumque addi vides. Nam quod praeter alios Scaliger, Salmuthius, et Vrſinus [69]) putant, vmbellas quasdam lunatas ſtatuis impoſitas fuiſſe, ne, ſub dio collocatae, ab auibus conſpurcarentur, ignorantia vero huius rei Chriſtianos, hoc honoris cauſſa fieri arbitratos, pictis tabulis etiam eas male addidiſſe, quae tamen illis non opus habeant, hoc falſum eſt. Nam et antiquis in picturis occurrunt, vt patet ex tabula e ruinis Herculanenſibus extracta [70]), duo radiata capita, et in vrna marmorea Muſei Paſſerii [71]) eſt

 heros

69) in Acerrae Philol. Mantiſſ. Epigr. V. p. 505.

70) *Le Pitture antiche d'Ercolano T. II.* p. 65. et vid. Commentat. p. 61.

71) in Lucern. Fictil. Paſſer. T. II. p. 61.

heros in biga cum nimbo, ne quid dicam de numis 72) et gemmis 73). Res potius ita ſe habet. Caput Deorum ſplendere, radiosque quaſi ſpargere ſi dicerent, dignam putabant ſe diuina maieſtate effigiem dare, veteres. Hinc etiam apud Virgilium 74) Venus Aeneae dicit:

*Reſpice, iam ſummas arces Tritonia Pallas*
*Inſedit, nimbo effulgens, et Gorgone ſaeua.*

vbi Seruius nimbum fuluidum lumen eſſe dicit, quod capita Deorum cingat. Pallas eadem apud Euripidem 75) faciem

72) vt ap. Golzium in numis Auguſti. p. 18. ſequ.

73) v. *Deſcription des pierres gravées d. f.* B. *Stoſch. p.* 15. vbi Iſis cum limbo.

74) Aen. II, 615.

75) Ion. 1549.

ciem ostendit solis instar splendentem. Circumdabant igitur ad exprimendum hunc splendorem eorum capita circulo illo luminoso et splendido, qui frequenter conspicitur, quemque morem valde antiquum fuisse, inde colligo, quoniam Winckelmannus 76) statuam Aegyptiacam quandam illo conspicuam esse narrat. Mox hic nimbus a Deorum ad Imperatorum capita transiit, quibus divinos honores habitos fuisse constat; vt tali ornamento addito conspicitur Traianus in arcu Constantini aliquoties: immo etiam inter consularis dignitatis insignia relatus est. Placuit res Christianis, qui et Christum, et genios coelestes, et sanctos viros hoc orbe, verticem complectente, effinxerunt: id quod copiose

76) *Geschichte der Kunst.* p. 44. add. Kircherus in Oedip. Aegypt. T. II. class. VII. p. 87.

copiose exponunt viri docti, qui hanc rem illustrandam sibi sumserunt 77). Nemo tamen reprehendit pictorem, qui radiantem hunc arcum Dei capiti imponit, qui quam necessarius sit ad maiestatem indicandam, non video. Cur igitur irascamur Iouis tonantis habitum imitanti, multo certe maiorem augustioremque qui speciem habet? Ipsae etiam alae ex more antiquorum retinentur.

77) *Io. Ciampinus in Veter. Moniment.* c. 14. p. 111. sequ. *Io. Reiskius de nimbo Diuino progr.* in V. ill. *Iul. Car. Schlaegeri Fascic. Dissert. rarior. de antiquit. sacr. et profan.* P. II. p. 191. et *Anselmus Costadanus* in obseru. *in Graecam iconem ligni SS. Crucis* in Vol. III. *Gorianor. Symbol. litterar. c.* 4. *p.* 20. *viris ibi laudatis* adde *Fr. Iunium de pictura veterum p.* 24. et *Gisb. Cuperum* Obseru. II, 16. *Fabrettum de Columna Traiana Syntagm. c.* 19. *p.* 303.

nentur. Nam et in Iſide Aegyptiaca alae apparent [78]), quemadmodum et Solis pennata ſimulacra Aegyptii habuerunt [79]): atque, praeter Phoenices, Etruſci Ioui, Dianae, Mineruae, Veneri, Furiis adaptauerunt alas [80]). Muſae etiam cum alis conſpiciuntur [81], atque Meduſae capiti eaedem additae [82]). Quid? quod Poetae

78) vid. *Deſcription des pierres gravées du feu Baron Stoſch* p. 13. et 54. *Winckelmanns Geſchichte der Kunſt.* p. 58. 71 - 87. conf. Huetium in Demonſtr. Euang. IV, 4. p. 69. ed. Pariſ.

79) Macrob. Saturn. I. c. 19.

80) v. Scip. Maffei Origines Etruſ. et Latin. p. 43. ex verſ. Latin. (Lipſ. 1731.) adde Explicat. et coniectur. ad Monumenta Etruſca in Dempſteri Etrur. Regal. ſ. 1. p. 7.

81) Begeri Theſ. Brand. I, 54.

82) v. Chriſtium ad Muſei Richter. dactylioth. p. 19. vide etiam Muſeum Odeſcal-

tae [83]) Soli alatum currum tribuunt, quemadmodum Orpheus eidem aureas alas pulchre dedit [84]). Indicare enim, ni fallor, volebant celeritatem, qua dii totum orbem peragrarent, et vbique praesentes essent. Quae cur reiiciamus e nostris tabulis, cum in sacris litteris coelestibus geniis alas tribui legamus? Sed vt ad Iouem redeam, vnum addam.

Viden-

Odescalcum T. II. tab. 68. *Recueil des Pierres gravées p. Mariette* P. II. g. 35. 36. *Pierres antiques gravées p. Phil. Stosch* p. 65. Gemm. Musei Florentin. T. II. tab. C. g. 3. et T. I. tab. 32. et 33.

83) Euripid. Orest. 1003.

84) ap. Euseb. Chronic. p. 4. *Ἥλιε χρυσίαισιν ἀειρόμενε πτερύγεσσι.* adde his, quae disputata a Cupero in Harpocrat. p. 32. et in comment. ad Apotheos. Homeri p. 45. Spanhemio ad Callim. p. 458. et Deylingio in Obseru. Sacr. P. III. p. 221.

Videndum eſt artifici, ne ſemper illi ante oculos verſetur

*Ille pater rectorque Deûm, cui dextra trisulcis*
*Ignibus armata eſt* *):

ſed pro argumenti ratione erit Deo noſtro ea benignitas, ea vultus clementia danda, quae amantiſſimum hominum Numen decet. Illam Iouis tonantis imaginem imitabitur tum, vbi iram aut dignitatem ſeueriorem indicare voluerit. Videamus reliqua monimenta. Habent antiquae Apollinis ſtatuae virilis aetatis ſpeciem, ſed perfectae iuuentutis, non effeminatae aut mollis, ſed nobilis et magnum animum prodentis imaginem. Excedit ille omnium vocibus ſcriptisque celebratus in hortis Vaticanis Apollo, humani corporis menſuram:

*) *Ouid.*

furam: omnibus membris summum honorem Gratiae afflauerunt: virilium annorum robur cum iuuentute suauissima coniunctum apparet: nihil humile, nihil mortale toto corpore eminet: e fronte tranquillitas atque ex oculis dulcissima natura eminere videtur. Hac imagine, quis non etiam illum proponat, qui divina origine editus, amicus hominum, et *pulcherrimus mortalium* vocatur? Ille alatus genius in Villa Burghesiana 85), qui perfectissimam pulcherrimi iuuenis speciem, quaeque vix in mortale genus cadere videatur, habet, nonne potest artifici exemplum esse aut Gabrielis, Mariae Dei voluntatem annunciantis, aut alius cuiusquam e coelestibus geniis? Quis

85) v. Flamin. Vaccam in Antiqu. expl. T. I. pl. 115. sed inprimis cel. *Io. Winckelmanns Geschichte der Kunst des Alterthums.* p. 159. 392. 158.

Quis vero aut Ganymedis pulchrum caput 86), aut Amoris 87), quis blandissimos eiusdem vultus in picturis Herculanensibus 88) aut in Capitolio 89) non ad sanctos vultus transferat? Et nonne illud caput siue Antinoi, siue alius cuiuscunque herois in hortis Vaticanis pulcherrimum, eorum cuidam docta imitatione tribui potest, quos prae aliis Dominus noster discipulos suos esse voluit? Praeiuit hac in re exemplum Raphael, qui Faunum Florentinum (nam plurimum Faunorum statuae iuventutis iucundae, simplicitatisque cuiusdam

86) *Delle Antiche Statue della librerìa di San Marco.* P. II. tab. 7. add. *Description des pierres gravées* d. *M. B. Stosch.* p. 58.

87) Ibid. *t.* 21.

88) Tom. I. inde a p. 155.

89) Mus. Capit. T. III. t. 64.

iusdam imaginem habent) dignum censuit, cuius faciem, sanctam, vt aiunt, familiam pingens, Ioanni redderet [90]. [Atque etiam hoc nomine vituperari potest ille, quo nullus cogitari potest maior stultiorque, quique iam olim in Patrum, an fastus et ignorantiae et stuporis? animo insidens pulcherrima antiquorum carmina deleuit [91]), furor Gregorii M. Bonifacii IV. Pii V. et Sixti V. qui veteres statuas destruxerunt, quem nemo praeter Antonium aliquem Posseuinum laudare potest [92]), quiuis reprehendere debet maximopere.] Sed longius progredi volo artifices, atque veteres in aliis etiam imitari, quae nostrum

90) Richardson l. c. T. III. p. 79.

91) v. Barnesii vit. Anacreont. f. 32. p. 61.

92) *de poesi et pictura ethnica, humana, et fabulosa, collata cum vera, honesta, et sacra.* Lugdun. a. 1594.

ſtrum Deum non dedecere videantur. Tribuuntur in antiquis monimentis Ioui currus [93]) et equi, quae imago, vt ego puto, valde pulcra eſt [94]). Noti ſunt, licet a pauciſſimis interpretibus,



93) quadriiugum currum Soli in elegantiſſima gemma tribui videbis in Gemmis Muſei Florent. T. II. tab. 87. et in tab. 88. 2. lunae bigam. vid. Gorii Gemmas Aſtrifer. a tab. 42. Lucern. Fictil. Paſſerii P. I. t. 85. et 92. etiam alios Deos in curribus ponebant Etruſci. vid. Muſeum Etruſc. P. I. t. 6. et Gorium in P. II. p. 25.

94) Platonis locum huc non pertinere credo, quod credo apparere totum dialogum perlegenti. Mihi non licet pluribus nunc docere. Eſt ille in Phaedro p. 246. ed. Steph. T. III. ὁ δὲ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. vide de hoc loco etiam Dionyſium Halic. de admir. vi dicendi in Demoſth. p. 272. ed. Hudſ.

qui poetam ludere et iocari credidere, recte intellecti, Horatii versus:

*— — Diespiter*
*— Per purum tonantes*
*Egit equos volucremque currum,*
*Quo bruta tellus, et vaga flumina,*
*Quo Styx, et inuisi horrida Taenari*
*Sedes, Atlanteusque finis*
*Concutitur* 95).

Pariter etiam Ouidius 96).

*rapidis qui tonat altus equis.*

Talem

95) I, 34, 6.

96) Heroid. V, 28. adde Aen. VI, 586.
*Dum flammas Iouis, et sonitus imitatur olympi:*
*Quattuor hic inuectus equis, et lampada quassans,*
*Per Graiûm populos, mediaeque per Elidis vrbem.*
*Ibat ouans; diuûmque sibi poscebat honores:*
*Demens*

Talem etiam Iouis imaginem exhibent gemmae 97) antiquae. Et quid, ſi huc referendum eſt, quod legimus, Tarquinium quadrigas fictiles Ioui Capitolino dicaſſe 98) atque aediles curules e mulcta Iouem in culmine cum quadri-

 gis

*Demens, qui nimbos, et non imitabile fulmen*
*Aere et cornipedum pulſu ſimularat equorum.*

97) Muſei Florentin. Gemm. Vol. I. t. 57. et in fronte P. II. libri Winkelmanni de fatis artium. Rarior gemma eſt inter aſtriferas Gorii in tab. XIII. vbi Iupiter curru vehitur, vnde biiugas aquilas loro regit, aſtro praefulgente, ſubiectisque arietis et librae ſignis: vnde Paſſerius collegit, eam thema natalis alicuius continere. vide inprimis *Deſcription des pierres gravées d. f. B. Stoſch.* p. 50.

98) Plin. Hiſt. Nat. XVIII. 4. p. 445. et XXXV. 45. p. 711.

gis posuisse 99)? Magnifice, cuius versus non possum praeterire, quoniam inprimis huc pertinent, Quintus Calaber de Ioue 100) dicit:

*latum*

99) anno V. C. 457. Liv. X, 23.

100) L. XII. 187.

— ἐς οὐρανὸν εὐρὺν ἀνήιε. τὸν δὲ φέρεσκον
Εὖρος καὶ Βορέης, Ζέφυρος δ' ἐπὶ τοῖσι, Νότος τε·
Τοὺς δ' ὑπὸ θεσπέσιον ζυγὸν αἰόλος ἤγαγεν Ἶρις
Ἅρματος αἰὲν ἐόντος, ὅ οἱ κάμεν ἄμβροτος αἰὼν
Χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισιν ἀτειρέος ἐξ ἀδάμαντος·
Ἵκετο δ' ὀυλύμποιο ῥίον μέγα· σὺν δ' ἐτίναξεν
Αἰθέρα πᾶσαν ὑπερχολούμενος· ἄλλοτε δ' ἄλλαι
Βρονταὶ ὁμῶς στεροπῇσι μέγ' ἐκτύπεον. ἐν δὲ κεραυνοὶ
Ταρφέες ἐξεχέοντο ποτὶ χθόνα.

*— latum coelum adſcendit, eumque vehunt*
*Eurus et Boreas, Zephyrusque Notusque cum illis,*
*Quos Iris multicolor duxerat ſub iugum diuinum*
*Currus ſempiterni, quem immortale Aeuum illi fabricauit*
*Indefatigatis manibus ex rigido adamante.*
*Venit itaque in magni Olympi verticem, et concuſſit*
*Totum deſuper aethera iratus; aliasque alia*
*Tonitrua fulguribus mixta valde reboant, et inter haec fulmina*
*Crebra ad terram effunduntur.*

Cuius deſcriptionis eam ſublimitatem eſſe exiſtimo, vt nihil videatur cedere magnificentiae Dauidicorum verſuum: "Vectus eſt Cherubo, volitauitque et" fere-"

„ferebatur alis venti [101])". Iouem vero tonantem, quasi currus equosque per latum coelum agitare horrendo sonitu, nonne et poeticum satis est, et pulchram praebere potest artifici materiem imaginis veri etiam Dei? inprimis cum in sacris litteris Cherubos eosdem esse, qui Graecis Latinisque equi tonantes dicti, docte ostenderit vir ingenio et doctrina illustris Io. Dav. Michaelis [102]). E poetis tamen Cristianis neminem memini hac imagine vti praeter Miltonum, quem ea magnifice diuinum carmen suum exornasse videmus. Dicit enim pater omnipotens filio suo rebelles

les

101) Psalm. XVIII, 10.

102) in Commentat. de Cherubis, in Commentar Societat. Reg. scientiar. Gotting. T. I. p. 157. et in Epimetro ad Rob. Lowthii Praelect. de Sacra poesi Hebraeorum. P. I. p. 184.

les victuro: aſcende currum meum et rapidis rotis, quibus fundamenta coeli concutiuntur, allabere 103). Paulo poſt cum ſtrepitu ventorum murmurantium aduenit patris currus, flammis relucens, rotisque inſtructus ſpiritu animatis 104). Coeleſtibus armis filius inſtructus currum aſcendit: dextra ſedebat victoria alis aquilae conſpicua: prope pendebat arcus et plena fulmine triſulco pharetra. Cum pugnae initium fieri deberet, currus impetuoſi rotae



103) Parad. loſt. VI, 711.

*Aſcend my Chariot, guide the rapid Wheels*
*That ſhake Heav'ns Baſis.*

104) 750.

*— Forth ruſh'd with whirlwind ſound*
*The Chariot of Paternal Deity,*
*Flaſhing thick flames, Wheel within Wheel undrawn,*
*It ſelf inſtinct with Spirit &c.*

cum ſtrepitu reſonantis torrentis, aut numeroſi exercitus aduoluebantur: ſub flammiuomis rotis totum coelum tremebat, praeter ſolium Dei [105]) etc. (nam vides, me magis ſententiam in vertendis his ſpectare, quam verba: quorum vim fruſtra aſſequi laboro). Oſtendi vno, eoque ſatis illuſtri exemplo, quomodo imitari poſſint noſtri artifices veterum monimenta. Cuius generis poſſem plura afferre, ſi librum, non epiſtolam, ſcriberem, ſi cum alio quoquam, quam Tecum, loquerer.

*Materia*

105) 828.

*— — and the Orbes*
*Of his fierce Chariot rowl'd, as with the ſound*
*Of torrent Floods, or of a numerous Hoſt.*
*— — under his burning Wheels*
*The ſtedfaſt Empyrean ſhook throughout,*
*All but the Throne it ſelf of God.*

*Materia tanta abundat copia,*
*Labori faber vt desit, non fabro labor.*

Quid nunc, quaeris, in cuiusuis alius argumenti, quam religiosi, carmine poetae concedendum esse existimem? Videamus, vt antea, de duplici mythologiae genere.

*Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis*
*Currenti spatium praemonstra, callida Musa,*
*Calliope, requies hominum, Diuûmque voluptas.*

Atque primum quidem considerata summa religionis, imperii, morum, vitae, aliarumque rerum diuersitate, copiose ab Euvremondio explicata [106]), sine

106) *sur les poemes des anciens.* dans ses Oeuvres T. IV, p. 325.

ſine vlla dubitatione ita ſtatuo, me nullam videre cauſam, cur ea retineri debeant, quae omnino ab aetate noſtra abhorreant; quidquid etiam, cuius eſt apud me ſumma auctoritas, Boelaeus pro fabulis dicat [107]), qui iis vitam ſpiritumque carminis contineri putat [108]), male vero varia illarum genera commiſcet, et ſacra profanis confundit. Neque enim, ſi quaeras, cur Neptuno tribuatur imperium maris, cur Pluto infera regna teneat, aliarumque fabularum ſi cauſam interroges, aliud quidquam reſponderi poteſt, quam hoc ideo fieri, quia a Graecis et Romanis factum ſit. Nempe cum ſub ea tempora, quibus amiſſus

107) L'art poetique. Ch. III. a v. 160.

108) Ib. v. 189.

*Sans tous ces ornemens le Vers tombe en langueur,*
*La poëſie eſt morte, ou rampe ſans vigeur.*

amiſſus bonis litteris honor reſtituebatur, atque hoc omni contentione a viris doctis in Italia, Gallia, et Germania agebatur, vt, quae terrarum orbem vniuerſum occupauerat, oppreſſasque mortalium mentes tenebat, barbariem et inſcitiam pellerent, recte ab his praeciperetur, eſſe ex antiquorum ſcriptorum libris, tanquam ex limpidis vberrimisque fontibus, eleganter cogitandi politeque dicendi et ſcribendi artem hauriendam: etiam hac parte ſe illis ſimiles eſſe debere, crediderunt. Quod cum a multis fieret et claris viris: res facile auctoritatem obtinuit, pluresque inuenit amatores cultoresque. Quomodo vero per tot annos hic mos retineri potuerit, non video, cum, ſi verum dicere velimus, nullo alio fundamento nitatur, quam errore et ſuperſtitione veterum. Qui cum ex legibus religionis ſuae illa docerent,

docerent, reprehendi non debent: quam reprehensionem dic quomodo illi effugient, qui, re ipsa amissa, nomina tamen rei mordicus retinent, id est, inanem sonum, quem si audias, nihil cogitas. Quod vero quidam verentur, ne, si mythologiam antiquam omittant, languidiores frigidioresque versus fiant, ille timor inanis est. Tantam rerum, quae hodie est, facies sententiarum nouarum et imaginum copiam praebet, vt homini ingenioso nunquam deesse possint, quibus exornet carmina. Cogita, quam multa de natura rerum nunc hominum studio explicita sint, quae olim aut ignota, aut certe obscura satis essent: considera porro, esse orbem terrarum recentiori tempore quasi auctum accessione, terris olim ignotis, nunc cognitis: et perpende, quantam haec omnia poetae siluam ornamentorum

dare

dare poſſint, multo meliora iſtis nominibus Iunonis, Plutonis, Cerberi, Rhadamanthi, Charontis. Semper ingenii mediocris exiſtimaui, comparationes ab omnis aeui omniumque populorum poetis centies vſurpatas repetere, nihilque praeter lupum, leonem, flumina, riuos, in promptu habere, ſi carmen comparatione exornandum. Admiratus autem ſum praeclariſſimum carminis de morte Domini noſtri auctorem, cuius omnes fere comparationes nouitatis gratiam habent, a nemine antea vſurpatae. Pari modo, qui ingenii felicitatem ad verſus ſcribendos attulerit, (a quo enim alio carmina componi optabile eſt?) aliis fabulis facile prouidebit, efficietque, quominus mythologiam valde deſideremus. Neque tamen deerunt in altero mythologiae genere, quae imitari poſſit poeta. Nam,

cum

cum et virtutes et vitia in Deorum numerum adſcriberentur, cumque et his et aliis animi affectibus vultus, corporaque darentur, inueniet cum in numis gemmisque antiquis, tum in carminibus, quibus commode vtatur. Pudicitia, Fertilitas, Felicitas, Fides, Securitas, Copia, Iuſtitia, Veritas, non minus quam Tempus, Voluptas, Ira, Diſcordia, Impudentia, Inuidia, et quam plurima alia in antiquis monimentis occurrunt, et ad poetae ingenium cum alendum tum acuendum, variisque imaginibus locupletandum faciunt, id quod apparebit earum imagines intuenti [109]. In his igitur ſimilibusque exem-

109) omnes coniunctas videre potes in opere Spenciano, vbi in Dial. X. p. 137. de iis agitur. Fab. 21. 22. 23. adde Winckelmanns *Erläuterung der Gedanken von der Nachahmung der Griechiſchen Werke* a p. 143.

exemplis, quid deceat, videbit: remouebit ea, quorum nullus eſt nunc vſus, nullaque, niſi in ſuperſtitione antiqua, cauſa: quae ab his diuerſa, quae cuiusque poetici ingenii et omnium populorum communia, adhibebit. Nihil dixi de artificibus, quorum ratio huius diſputationis ſeueritatem refugere videtur. Nam, vt in ſermone verba, ſic in pictura ſigna quaedam ſunt, ab antiquis temporibus, atque ex mythologia profana repetita, quae quaſi verborum ſermonisque vim nacta ſint. Qui ab his vſu ſemel receptis, probatis, confirmatisque imaginibus receſſerit, obſcurus fiet, non aliter, ac ſi in ſermone aliis verbis vtatur, quam quae rerum propria ſint. Porro harum allegoricarum figurarum ope illud commodi nanciſcuntur artifices, vt in vna tabula complures res exponere queant, quarum ſin-

gulae ſingulas tabulas poſtularent, ſi ab hac ratione recederent. Praeterea res, quae in ſenſus non cadunt, virtutes vitiaque hominum, hoc modo ante oculos ponuntur, et obmuteſcenti quaſi hiſtoriae ſuccurrit allegoria, quaeque ea declarare nequiuit, commemorat. Attentio igitur conſeruatur, et dum omnia videmus, laetamur. Non ignota iis loquor, qui, quid mythologiae ope Petrus Beretinus, Le-Brunius et Rubenſius effecerint, norunt. Denique neſcio, quomodo accidat, vt lubentius in picturis, quam in verſibus, mythologiae veſtigia conſpiciamus. Nemo eſt, qui non laudatos illos plurimorum ore Sannazarii verſiculos in vrbem Venetias audiuerit; multi autem memoria tenent:

*Viderat Adriacis Venetam Neptunus in vndis*
*Stare vrbem, et toti ponere iura mari.*

*Nunc*

*Nunc mihi Tarpeias quantumuis, Iupiter, arces*
*Obiice, et illa tui moenia Martis, ait:*
*Si pelago Tiberim praefers, vrbem adſpice vtramque,*
*Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.*

Reprehendit hoc carmen ob alias cauſas, cui tamen non omnino aſſentior, Ioſ. Trapp [110]), atque adeo minus mira videbitur



110) in Praeleȼt. Poet. Vol. II. p. 10. *Saepe miratus ſum fortunam Sannazarii, qui ſex verſiculis nihil praeſtando non modo tantum famae, ſed (quod ſolidius) tantum auri adeptus fuerit. Numeroſa quidem ſunt carmina: accedit ſpecies, ſiue cortex epigrammatis: fiȼtio inſuper poetica de Ioue et Neptuno. Haec ſi demas, (et haec ſola nihil agunt) quid aliud quaeſo dicit poeta, quam vrbem Venetias vrbem Romam antecellere. Nude*

debitur quibusdam noſtra cenſura. Laudarem vero hoc carmen, ſi Virgilii et Horatii aetate compoſitum fuiſſet, qua Iupiter et Neptunus vera Numina erant. Quam vero poterat hoc commentum Sannazarii tempore vim et elegantiam habere, quo Neptunus ridebatur, Iouisque numen contemnebatur? quem igitur Venetiis honorem his verſibus habere poterant, in quibus nihil eſt, praeter inanem verborum ſonum, quibus nulla ſubiecta ſententia? (etſi largiar, in epigrammate, inprimis ridiculo et iocoſo, poſſe interdum acutum aliquod dici, ſi ad mythologiam

*Nude et ſimpliciter aſſerit, illam potius, quam hanc, videri Diis conditoribus debere originem. vbi hic acumen? quid ſalſum? quid facetum?* (facetum hic non quaerebat auctor, nec quaerebat ſenatus populusque Venetus) *formam tantum epigrammatis videmus: ne vmbram quidem ingenii.*

thologiam refpicias, et facetum, atque ideo hoc carminis effe genus [111]), in quo nifi laudem, certe tolerem Deos). Licet vero Sannazarium magis felicem, qui Senatum Venetum tam liberalem expertus fit, praedicem, quam ingeniofum: minus tamen difplicet Tintorettus, qui in tabula Iouem exhibet, cum multis aliis Diis Venetias, fundamenta imperii et vrbis in mari Adriatico pofituram, comitantem. Tantam in nos poteftatem vel confuetudo, vel fenfus habent externi, quos quoniam tabulae pictae afficiunt, accidit fortaffe, vt etiam obliuifcamur et parum rigide examinemus, quae minus praeceptis et rationi refpondeant, voluptatem autem afferant oculis et delectationem. Quanquam, vt verum dicam, parum abeft, quin affentiar iis, quae contra fabularum

 vfum

111) vid. eund. *Trapp. ib. p.* 15.

vſum ab eo diſputantur, cuius in hac re maiorem auctoritatem mea eſſe lubenter agnoſco [112]). Nam cum in hiſtoricis tabulis maxime illud obſeruari debeat adhiberique, quod veriſimile: non negari poſſe puto, allegoricas illas e fabulis repetitas figuras illam veritatis ſpeciem imminuere. Poſſe eas locum habere in tabulis, antiquorum quae temporum hiſtorias habeant, quibus illa omnia vera exiſtimabantur, facile largior: non iis temporibus accommodari debere, dico, quibus numen illorum quaſi exſtinctum. Vno verbo: ſententiam Vitruuii [113]) veriſſimam exiſtimo: non pictu-

112) Felibien. *Entretiens &c.* P. III. p. 331. add. Du Bos *d. ſes Reflex. ſur la poëſie & peinture* P. I. c. 34. ſed prae omnibus aliis conſule librum egregium: *Betrachtungen über die Mahlerey.* auct. V. ill. C. L. Hagedorn. P. I. p. 458. ſequ.

113) L. VII. c. 5.

picturas probari debere, quae non ſint ſimiles veritati, nec, ſi factae ſint elegantes ab arte, ideo de his ſtatim debere iudicari, niſi argumentationis certas habuerint rationes, ſine offenſionibus explicatas. Nam, quod Ammianus Marcellinus de hiſtorico dicit: fallere non minus, qui geſta ſciens, quam ille, qui nunquam facta fingit; quidni etiam dicatur de pictore, qui veram hiſtoriam expoſiturus, fabulis veritatem obſcurat et inuoluit? Verum nec licet nec lubet plura de re dicere, de qua iam, vndique quaſi confluentibus verbis, me prouectum cupiditate Tecum loquendi, leuandique moleſtiam e locorum intercapedine, quae voluntate coniunctos magno interuallo ſeparauit, plura ſcripſiſſe video, quam mihi propoſitum erat. Quare

*verbum non amplius addam.*

## EPISTOLA III.

Accusaui, Vir genere, quodque maius genere, proauis, omnibusque, quae non ipsi fecimus, ingenio et doctrina, nobilissime, nuper Homerum, quem si hodie et laudauerim et defenderim a quorundam reprehensionibus,

*Ecquid erit pretii?*

Certe illud me assecuturum esse spero, vt neque amori neque odio quidquam tribuisse videar in iudicio de summi poetae virtutibus vitiisque ferendo, sed suo vnamquamque rem momento ponderasse, et vera aurificis statera examinasse. Tenebo vero etiam hic consuetudinem meam, quaeque ab aliis satis iam explicata sunt, omittam. Iuuat ea

exponere,

exponere, quae ab illis praeterita, siue quod noluerint, siue quod nequiuerint de iis recte iudicare. Quare quid opus est, pluribus docere, summam esse poetae operam dandam, vt cuiusque aetatis mores accurate carmine exprimat; vt, quae quemque eorum, de quibus loquitur, oratio deceat, diligenter videat; vt, quid agere quisque, quid concupiscere, quibus delectari soleat, ita obseruet, vt fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur?

*Si plausoris eges aulaea manentis*, *et vsque*
*Sessuri*, *donec cantor*, *vos plaudite*, *dicat:*
*Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores*,
*Mobilibusque decor naturis dandus et annis* [1]).



1) Horat. in Art. Poet. 153.

Sed legiſti iam ſaepius haec, aliaque. Neque etiam opus eſt, vt multis exemplis oſtendam, quomodo Homerus in moribus ducum exprimendis verſatus ſit, quam varietatem adhibuerit, quam diuerſas pro morum diuerſitate orationes inſperſerit. Noſti, generoſum eſſe Achillem, ſed ſimul iracundum et inplacabilem: prudentem Vlyſſem, ſimulque vafrum et callidum: Phoenicem, virum bonum, et lenem mitia conſilia dare: Aiacis orationem, animum fortem, conſtantem, et fallere neſcium ſpirare [2]). Quoties Neſtorem dicentem ſuadentem-

2) Scholiaſt. Victor. ad Il. I. 621. οἱ δὲ εἰσὶ ῥήτορες. Ὀδυσσεὺς συνετὸς, πανοῦργος, θεραπευτικὸς. Ἀχιλλεὺς θυμικὸς, μεγαλόφρων. Φοῖνιξ ἠθικὸς, πρᾶος, παιδευτικὸς. Αἴας ἀνδρεῖος, σεμνὸς, μεγαλόφρων, ἁπλοῦς, δυσκίνητος, βαθὺς. εἰ δέ που κινηθείη, ἐπικαίρως, εὐστόχως, διὰ βραχέων φησίν.

Pariter

ſuadentemque aliquid audio, veriſſimam prudentis ſenis imaginem mihi videre videor. Placet mihi ille, magna prudentia inſtructus, vſuque rerum ſubactus: minorum caſtigator, temporis ſe puero acti laudator, loquax, verboſus, glorioſus etiam, vt ſunt ſenes. Quam lubenter in praeteriti temporis memoriam redit, resque a ſe aut aliis olim geſtas commemorat! quibus laudibus effert eos, quibuscum primos iuuentutis annos egit, prae iis, ad quos loquitur! quam lenes etiam illius orationes, quam placidae! quoties pluribus verbis ea narrantem audimus, quae breviſſimo ſermone complecti poterat! Quemadmodum autem, quo attentius magno-

Pariter diuerſum diuerſorum dicendi genus apud Homerum explicant Quintilian. Inſt. Or. XII, 10. et Gellius VII, 14.

magnorum cum pictorum tum ſtatuariorum opera conſideramus, quo ſaepius ad ea viſenda examinandaque redimus; eo plura ſemper, quae laude et admiratione digna, antea vero nunquam a nobis animaduerſa, inuenimus: ita etiam in Homeri lectione verſari debemus, ſi magnitudinem illius ingenii recte intelligere velimus. Fraguerium *) aiunt, qui vouiſſe dicitur, ſe quotidie mille verſus Homeri lecturum eſſe, ad placandos manes poetae expiandasque iniurias, illis a La-Mottio illatas, illum igitur aiunt, cum primum Homerum legerit, ſtilo eos verſus notaſſe, qui apprime placerent. Cum iterum ad lectionem poetae acceſſerit, ſummopere miratum eſſe, multos ſe verſus, pulchriores etiam illis, praeteriiſſe. Idem illi tertium quartumque eadem carmina

legenti

*) Fraguier.

legenti accidiſſe: plenum admirationis virum doctum, ſemper augeri verſuum, qui placerent, numerum, animaduertiſſe: denique vidiſſe, omnes fere verſus ab initio vsque ad finem libri a ſe notatos eſſe, atque, hoc in ſe expertus ſit, oportet, dixiſſe, qui recte de poetarum principe iudicare velit. Nonne vero, quicunque idem ſtudium ad legendum Homerum attulerit, veriſſima eſſe haec, intelliget? ſemper illi noua materies admirandi laudandique ingenium, artem, numerosque poetae occurret. Sed quid ego aliena exempla conquiram, cum vti mihi liceat noſtris? Maneamus vero in Neſtore. Vlyſſes et Diomedes in Troianorum caſtra miſſi, ſpeculandi cauſſa, redeunt, ſonitusque equorum auditur. vbi quem putas primum omnium ducum locutum eſſe? loquitur Neſtor, et, vt ſunt ſenes

ſuſpi-

ſuſpicioſi et timidiuſculi, ſe optare, vt Vlyſſes et Diomedes his equis vehantur, grauiterque timere, dicit, ne quid mali iis acciderit 3). Sed ecce! aduenit vterque. vbi cui nunc cenſes primas partes dicendi ab Homero datas eſſe 4)? „Primus interrogauit, eques Gerenius, „Neſtor: Dic mihi, o decus ſummum „Graecorum, Vlyſſes, quomodo hos „equos cepiſtis"? etc. Quam vero eleganter

3) Il. K. 536.

Αἲ γὰρ δὴ Ὀδυσεύς τε, καὶ ὁ κρατερὸς Διομήδης
Ὧδ' ἄφαρ ἐκ Τρώων ἐλασαίατο μώνυχας ἵππους·
Ἀλλ' αἰνῶς δείδοικα κατὰ φρένα, μή τι πάθωσιν
Ἀργείων οἱ ἄριστοι ὑπὸ Τρώων ὀρυμαγδοῦ.

4) Ib. v. 543.

Πρῶτος δ' ἐξερέεινε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.
Εἴπ' ἄγε μ', ὦ πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
Ὅππως τούσδ' ἵππους λάβετον;

ganter et acute haec finxit Homerus! Quis enim cupidior ſene aliquid noui audiendi? quis aegrius comprimit animo hanc cupiditatem? immo quis lubentius illi indulget? Nonne vero iidem, ardore priſtino extincto, timidiores ſunt iuuenibus, plenique metus et ſuſpicionum? Quare a nemine haec melius dici poterant, quam a Neſtore. Quoniam neminem interpretum artem Platonis obſeruare memini: ex illius dialogo, qui Ion inſcriptus, ſimilis elegantiae exemplum dabo. Habet ibi Socrates ſermonem cum Rhapſodo, id eſt, cum homine, qui totum Homerum deuoraſſe, omnesque illius verſus memoria tenere ſibi videbatur. Mentionem iniicit Socrates loci cuiusdam Homerici, et, ſi recordor, inquit, dicam tibi. Vbi quid magis conuenit moribus Rhapſodi, quam vt interpellet Socratem, ſuaeque ſcien-

tiae

tiae ſpecimen dare geſtiat? Quare etiam ſtatim, ego vero, reſpondet 5), dicam. nam ego bene memini. Intelligis, opinor, bene Platonem, quid deceret perſonam hominis, obſeruaſſe. Sed copioſius de hac re diſputabo, vbi, quae de Senecae Tragoediarum vitiis in commentarios retuli, in lucem edere licebit. Nunc Homerum contra eos defendere lubet, qui ſe offendi queruntur verſibus quibusdam, qui, nullo verbo, nulla ſyllaba mutata, eadem ſaepius facie, eodem habitu occurrunt. Sunt enim eiusmodi complures, qui non eadem, qua reliqui, cura elaborati eſſe videantur, quosque poeta, quaſi indignos, quibus variandis diuinum ingenium

5) p. 537. A. (ed. Stephan. a. 1578.) Σωκρ. ἐὰν μνηθῶ τὰ ἔπη, ἐγὼ σοι φράσω. Ιων. ἀλλ' ἐγὼ ἐρῶ. ἐγὼ γὰρ μέμνημαι.

nium immoraretur, abiecisse videtur. Tales sunt hi:

*Illi vero respondit prudens Vlysses* 6):
*Ita dicebat, et ego respondebam* 7):
*Illi respondit Telemachus sapiens* 8):
*Illum iterum alloquebatur sapiens Penelope* 9):

Praeterea

6) Τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς. vt Il. K. 382. 423. 554. Il. T. 154. 215. Od. Λ. 353. 376. P. 16. 354. Ω. 328. 354. etc.

7) Od. Δ. 375. 394. 464. K. 336. 382. Λ. 181. 162. 434. 461. Ὣς ἔφατ᾽· αὐτὰρ ἐγώ μιν ἀμειβόμενος προσέειπον.

8) Τὴν δ᾽ αὖ Τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα. Od. A. 213. 230. 345. 388. B. 208. 309. Γ. 21. 201. 225. Δ. 315. 593. etc.

9) Τὸν δ᾽ αὖτε προσέειπε περίφρων Πηνελόπεια. Od. T. 308. 350. 589. Φ. 311. 330. Ψ. 58. 114. 183. 295. etc. vide plura collecta exempla in Io. Henr. Schulzii

 dissert.

Praeterea alios, his ſimiles, quos non ignoras, atque in his, qui in altero Iliados libro frequenter occurrit:

μέλαιναι νῆες ἕποντο.

Hanc igitur rationem a compluribus vituperatam eſſe dico, in quibus facile patior eſſe Martialem, quo fortaſſe quemuis alium facilius bona dicta continere potuiſſe arbitror, etſi ea etiam ſoli auctori bona et acuta, aliis ſatis frigida viderentur: (id quod fere vitium eſt eorum proprium, qui, ſi aliquoties epigramma aliquod ingenioſum fecerunt, hiſtriones fiunt, et quotidie homines vel inuitos ad riſum inuitant.) Illum poetam,

diſſert. *de Tautologia Homeri* (Halae Magdeb. 1736.) et Georg. Guil. Oederi Progr. de *Tautologia Homerica*, in Biedermanni *Selectis Scholaſt.* Vol. II. Faſc. 2. p. 591.

poetam, quid mirum, nec reticere, nec opprimere potuiſſe iſtos verſus:

*Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,*
*Dicatur potius: τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.* 10)

nempe ſaepius ſe idem repetere, atque verſuum numerum ſic augere velle dicit. Sed quis non indignetur, Rapinum [11]) etiam, qui ſe ſatis peritum omnis elegantiae iudicem putabat, eodem nomine Homerum reprehendere? Mitto alios. nam quid opus eſt, hominum nomina ponere, qui, licet multò rectius facerent, ſi, vt in re, cui ipſa antiquitas aliquam religionem conciliare

 videtur,

10) Epigr. I, 46.

11) *La Comparaiſon d'Homere & de Virgile* p. 129. cap. X. *dans les Comparaiſons des grands Hommes de l'Antiqu.* T. I.

videtur, Pauſaniam [12]) imitarentur, qui Daedali opera ob rudem laborem oculos non delectare quidem, ſed tamen quaſi diuinum aliquod ſpirare dicit, malunt tamen ſtuporem Neronis imitari, qui ſtatuam Alexandri, a Lyſippo affabre factam, inaurari iuſſit, gratiaeque artis pretio detraxit [13]). Hi puri marmoris ſplendori facile praefeſerunt illud Ptolomaei caput, apud Eminentiſſimum honore et doctrina Albanum, aeneum, diademate auro intexto, labiis auro bracteatis, oculis argenteis, pupillisque hyacinthinis [14]). quod, licet exquiſiti operis ſit, licet etiam vultus elegan-

12) L. II. p. 121. ed. K. *ἐπιπρέπει δὲ ὅμως τὶ καὶ ἔνθεον τούτοις.*

13) Plin. H. N. XXXV, p. 652. (ed. Hard. ſec.)

14) imago radio in aerea tabella deſcripta edita eſt in Borionii *Collectaneis Antiquit. Rom.* tab. XIV.

elegantiam non exiguam habeat, puerilem tamen, ſi verum fateri velimus, luſum prodit, et a ſimplicitate vnice vera recedit. Doctae ſimplicitati et ſapienti parſimoniae praeferunt fucum et verſicolorem ſplendorem, atque prodigaliter effuſa ornamenta: vt nunquam defuerunt, qui ſuauitatem Herodoti et Xenophontis negligerent, aliorum acumina amarent, laudarentque Apuleii *papyrum Aegyptiam argutia Nilotici calami inſcriptam.* Illi vero et veriſſimum praeceptum auctoris librorum ad Herennium audire debebant: quae ampla et pulchra, diu placere poſſe; quae lepida et concinna, cito ſatietate aurium ſenſum afficere; et qui crebro exornationibus his ſermonis vtatur, puerili videri elocutione delectari [15];



15) L. IV. c. 23. add. *Rapin. Reflexions ſur la poëtique.* c. 34. p. 151.

et Graecorum artificum clara monimenta confiderare, in quibus animaduertitur eadem negligentia quaedam, fed negligentia ea, quam non ingratam cum Cicerone [16]) appellaueris, hominis magis de re, quam de iis, quae non ad illam proprie pertineant, laborantis. Hic minutiarum contemtus maxime magna monimenta decere videtur, et magis placet obfcura diligentia, quae, cum virtutes magnas edere nefciat, cavet tamen fibi ab omni, quod vitiofum videri poffit, quaeque tum demum fibi laude digna videtur, fi fummam accuratiffimamque omnium minutiarum ftudium oftenderit. Qui ipfam ftatuam fumma arte elaborauerunt, alia autem, quae ftatuae adderent, aut ipfi leuiter expoliuerunt, aut ab minus excellente artifice facta adiecerunt: ii perfuafiffe fibi viden-

16) in Orator. c. 23.

videntur, nimiam in his diligentiam detrahere ſublimitati, atque ornamentorum copiam non augere, ſed minuere operis pulchritudinem, neque minore laude illum dignum eſſe, qui iuſtam in his parſimoniam adhibere ſciat. Quid enim aliud Apelles ſpectauit, qui, cum vidiſſet Helenam a diſcipulo quodam multo auro ornatam, o! adoleſcens, dixit, cum non poſſes pulchram pingere, diuitem feciſti [17]. Vnde etiam vir eruditiſſimus, Winckelmannus, quem, cum praeſentem amare et complecti debuiſſet, nunc cum deſiderio laudat et miratur Germania, probabiliter [18] ad



17) Clemens Alexandr. in Paedag. L. II. p. 210. (ed. Colon.)

18) v. *Geſchichte der Kunſt des Alterthums.* p. 235. add. *Gedanken über die Nachahmung der Griechiſchen Werke in der Mahlerey und Bildhauerkunſt.* p. 3.

caufas interitus artium, quibus excelluere Graeci, etiam hanc in paruis rebus diligentiam refert. Nam cum ad fummum faftigium artis peruenerint Graeci, cum Deorum heroumque tam variae, tam excellentes imagines perfectae fuerint, vt difficile effet, aliquid noui invenire, hinc, ait, imitationi viam apertam fuiffe. Hoc imitandi ftudium auxiffe tenuitatem fcientiae artisque, quam ita compenfare voluiffe, addit, artifices, vt in minutis rebus diligentiam oftenderent, quas aurea artium aetate praeterierint, fuaque opera indignas iudicauerint fummi artifices. Ne igitur aliqua durities remaneret, atque vt omnia mollia laeuiaque viderentur, rotunditatem aliquam atque iucunditatem addidiffe eis partibus, quas rudi quodam et fere inelaborato, fed tamen admodum efficaci modo illi exhibuerint,

atque

atque adeo vim et robur artium fregiſſe. Quae quidem omnia vere et recte dicta eſſe ab elegantiſſimi ingenii viro, non negabit, qui vetera monimenta eruditis oculis adſpexerit. Quis ignorat praeſtantiſſimum antiquitatis opus, Venerem Mediceam? quae cum diuinam prae ſe fert ſpeciem, tum delphinum adiectum, inſidentesque paruulos non pari, quo reliqua, ſtudio elaborata habet. Qui de ſtatua antiqua Hermaphroditi, quae Lutetiae Pariſiorum eſt, expoſuit, vir multarum litterarum, F. Sam. Schmidt [19]), columnam linteo obtectam, cui ſtatua innitatur, eſſe obiter et perfunctorie elaboratam, narrat, pro conſtanti more veterum, qui principi figurae vnice incumbentes de reliquis, quae eam comitarentur, parum

 fuerint

19) in Excerpt. tot. Ital. et Heluet. Litteratur. T. II. p. 238.

fuerint ſolliciti. Obſeruat etiam Richardſonius 20), in antiqua illa ſtatua, quae Nilum exhibet 21) paruulos, qui circa Nilum ludunt 22), eſſe mediocris artificis

20) *Traitè de la Peinture & de la Sculpture*, T. III. p. 507. et 280. Obſervatur idem a Felibieno d. *Entretiens ſur les vies & ſur les Ouvrages des plus excellens Peintres*. P. I. p. 79. vbi veteres reprehendit. quibus contraria eſſe videntur, quae in P. IV. p. 341. et P. III. p. 80. leguntur. adde ill. *Hagedorn in Betrachtungen über die Mahlerey*. P. II. c. 55. p. 782. ſequ. et in P. I. p. 42.

21) vid. eam in Domenico de' Roſſi Raccolta di Statue, ſt. VII. add. Io. Bapt. de Caualleriis Antiqu. Statuar. Vrb. Rom. L. I. t. 3.

22) vide Philoſtratum L. I. Icon. V. p. 769. ibique Olearium. et praeter Spencium, qui l. c. tab. 31. effigiem exhibet, Spanhemium de Vſ. et Praeſt. Numiſm. T. I. Diſſ. IV, p. 174. qui in

artificis opus, idemque ſe iudicare dicit de capite apri prope Meleagrum in Picchinianis aedibus [23]), de animalibus in opere illo, quod taurus Farneſianus audit, (quanquam Winckelmannus docet [24]), recentiori aetate huic operi reſtitutas eſſe partes quasdam, temporis iniquitate minutas perditasque) in puerulo, quem Commodus in viridario Pontificis tenet, atque in Caſtoris et Pollucis ſtatua [25]), quam Romae aedes Odeſcalcianae oſtentant (certe oſtentauerunt), vbi minime addita imago Ledae elegantiae reliquae reſpondet: nempe

in gaza regis Gallorum numum exſtare dicit Hadriani, in quo Nilus recumbens Sphingi innixus, circum autem pueruli quatuor, quorum vnus hippopotamo inſidet.

23) vid. in Dom. de' Roſſi Raccolt. 141.

24) *Geſchichte der Kunſt.* p. 353.

25) v. in Dom. de' Roſſi Raccolt. ſt. 121.

nempe ea, vt equidem puto, de cauſa ab auctore addita, vt ob ouum, quod manu tenet, pateat argumentum operis. Atque etiam in numis Graecis regum Syriae et Ptolomaei, vultus excellentiſſimi operis eſſe, alteram vero partem tironum manus arguere, periti harum rerum iudices docent. Praeterea videbis inter gemmas Stoſchii 26), eſſe gemmam cum Ptolomaei Philopatoris capite, in qua ſimul vituli et hominis baculo innixi imago, ſed vix mediocriter ficta ab Aulo, qui in Aeſculapii et Dianae imaginibus artis praeſtantiam oſtenderat. niſi dicere velis, ab alio, forte Aegyptio artifice, haec addita fuiſſe. Quo vero exemplo clarius, quid antiqui artifices de hac re ſenſerint, declarare poſſum, quam exemplo Protogenis? Huius picturam fuiſſe Rhodi,

26) tab. XIX.

di, Ialyſum et Satyrum columnae adſtantem, narrat Strabo [27]). Huic columnae olim inſtitit perdix, cui, cum tabula recens eſſet poſita, ita inhiauerunt homines, vt illius admiratione Satyrus, quamuis elaboratiſſimus, negligeretur. Admirationem etiam auxerunt allatae ab iis, qui perdices alebant, aues, et e regione poſitae. Pipiebant enim ad conſpectum tabulae, multitudinemque ſpectatorum oblectabant. Quid vero Protogenes? hic cum opus ipſum additamentc poſthaberi animaduerteret [28]), a templi praefectis impetrata venia, acceſſit et auem deleuit. Conſideremus igitur ſtatuariorum veterum opera, et comparemus cum Homeri carminibus. Quemadmodum illi, in ipſo

27) L. XIV. p. 652. D. (ed. Pariſ. 1620.)

28) ὁρῶν, τὸ ἔργον πάρεργον γεγονός.

ipſo opere omnes ingenii diligentiaeque neruos contenderunt, eaque monimenta reliquerunt, quae tanquam optima exempla, quo quisque ſtudioſior eſt famae artisque, eo diligentius contemplatur imitaturque; reliqua autem, quae accederent, nobili quadam libertate neglexerunt, qua ipſa negligentia operis praeſtantia eo magis enitebat, ſpectatorumque attentio, a complurium contemplatione retenta, in vno illa figebatur: ita etiam Homerus in magno opere verſatus eſt, quod, Minerua ipſoque Apolline opem ferentibus, perfecit. Vt in magnis tabulis non ea diligentia omnia elaborata eſſe debent, cum longius ab oculis noſtris abſint, quae propius conſpiciendam paruam tabulam decet: ita etiam in Iliade et Odyſſea non ea ſummo ſtudio obſeruata ornamenta quaerenda, quae in Aeneide a Virgilio non negli-

negligenda erant [29]. Admirabilis eſt Homerus in totius carminis ordine et diſpoſitione: ſummas vbique ingenii et eruditionis diuitias oſtendit: varius pro argumenti natura. Quae vero indigna cenſuit, quae ſplenderent, quaeque ab ipſo lectore negligi voluit: ea quoque non digna exiſtimauit, in quibus multum laboraret, ea abieciſſe potius, quam ſtudioſe feciſſe videri voluit. nam non potuiſſe eum in his varietatem adhibere orationis, quis credat? Quot habemus pugnarum deſcriptiones et vulnerum! quot adhortationes ducum! et quam admirabilis in his omnibus varietas nos delectat! quae eruditionis omnis diuitiae!

29) v. Boiuinus de controuerſiis inter Virg. et Homeri cultores. dans l'hiſtoire de l'Academie des Inſcriptions. T. I. 29. add. ill. *Hagedorn Betrachtungen über die Mahlerey.* P. II. c. 53. et 54.

tiae! Nam et ii, qui rerum publicarum ſalutem bonis legibus firmarunt, et qui exercitus duxerunt, et qui praeſtantiſſimam Philoſophiae partem, quae mores emendat, amplexi, et qui aut carminum facultate, aut artium peritia excelluerunt, ii omnes ex hoc fonte hauſerunt. Qui igitur in his maioribus ita eminuit, vt ſummam ingenii et eloquentiae laudem ab omnibus referret, eum haec minora defeciſſe, credibile eſt? qui tam variis coloribus praelia, regiones, duces pinxit, ei, probabile eſt, verba defuiſſe ad illas ſententias minoris momenti variandas? Quare potius, non minus neceſſariam eſſe exiſtimemus eam negligentiam in Iliade, quam vmbram in pictura: qua fieri videmus, vt reliquae tabulae partes, eo magis miteſcant. Credamus, etiam huc reſpexiſſe Horatium, cum *ambi-*

*tioſa*

*tiosa ornamenta* poetam recidere iuberet [30]). "Ad istos vero, quibus hi ver-„ sus displicent, censores pertinere dica-„ mus, quod Lucianus de ineptis quibus-„ dam historicis dixit [31]). Sunt, in-„ quit, qui magna negotia et digna me-„ moratu praetermittant aut transcur-„ rant, prae inscitia vero, et pulchri im-„ peritia, atque dicendorum tacendo-„ rumque ignorantia, minima quaeque„ copiose admodum studioseque enar-„ rent, diuque in iis immorentur: velut„ si quis Olympii Iouis totam quidem„ pulchritudinem talem, tamque multi-„ plicem non videat, neque laudet, ne-„ que his, qui non viderunt, enarret, sca-„ millum„

30) Art. Poet. 447. add. *Rapin. Reflex. sur la Poetique* c. 40. p. 158.

31) Quomodo histor. conscribenda sit. p. 35. ed. Reitz.

„millum vero, quod ita ad nor-
„mam exactus et politus ſit, admire-
„tur, et baſeos portionem; eaque mul-
„ta cum cura perſequatur„. Quis ſimilior Phidiae quam Homerus? quid propius ad Iouis Olympii ſtatuam accedit diuina Iliade?

## EPISTOLA IV.

Quod nuper ſcripſi, eſſe aliquam negligentiam, omni diligentia ſuperiorem: illud latius patet, quam mihi tum copioſius explicare per alia negotia licuit. Neque enim ſolum in iis, quae πάρεργα dicuntur, aliqua negligentia placet, ſed in toto opere interdum talis apparet. In gemma quadam antiqua, quae Vlyſſem reducem habet, rem vt non ſubtiliter valde, ita docte

docte et eleganter a manu vetere impressam esse, Christius obseruauit, secundum, vt addit, nobilem illam negligentiam, quae recentiorum in plerisque obscuram traducit diligentiam [1]). Qua de re fortasse alius commodiorque erit dicendi locus. nunc enim aliud nobis propositum est. Nam in vniuersum illud obseruandum esse puto homini, qui sua scripta placere, laudari, legique etiam ab iis, qui post nos erunt, voluerit, (quod votum aiunt omnium scriptorum, cum qui maiora opera aeternitati consecrent, tum qui orationes suas *sacras* et libellos scholasticos edant, ita commune esse, vt, se illius damnatum iri, lubenter credant,) non esse optimos foetus, qui difficillimo partu edantur, atque, licet nihil peius sit, quam

 vitiis

1) in Museo Richter. p. 15. adde *Mariette Traité des pierres gravées.* p. 57.

vitiis ſuis indulgere, aut parum diligenter in ſcribendo verſari, eſſe tamen hoc ita temperandum, vt ne opus, quod ſplendeſcere debeat, lima atteratur. Quare eruditiſſimus eloquentiae magiſter, non promtum eſſe, ait, dicere, vtros peccare validius putet, quibus omnia ſua placeant, an quibus nihil [2]). Neque enim, alio loco addit, vis ſumma dicendi eſt admiratione digna, ſi infelix vsque ad vltimum ſolicitudo perſequitur, atque oratorem macerat, et coquit, aegre verba vertentem et perpendendis coagmentandisque eis intabeſcentem [3]). Quemadmodum enim vere infelices eos eſſe puto, qui ſibi ipſi nunquam ſatisfaciant, nec contenti eis, quae fecerint, iterum iterumque ſua corrigant et emendent, et demum, vbi ſatis ſudoris

2) Quintil. Inſt. Or. X, 3, 12.
3) Ib. XII, 10, 77.

ſudoris profuderint, plurimumque in mutando et expungendo temporis ſtudiique conſumſerint, magis etiam, quam antea, diſpliceant: ita etiam hanc acerbitatem valde nocere ſcriptoris cupiditati, lectores delectandi, atque famae, exiſtimo. Eorum vero multa cum antiqua, tum noſtra aetas exempla vidit, quorum indicem Bailletus contexuit [4]. In vno opere, plurimam aetatis partem conſumſerunt, irati ſibi ipſi iudices, acres, inexorabiles, quidam etiam noxii. Neque inter artifices defuerunt, qui neſcirent, manum de tabula tollere. Apollodorum, inter cunctos diligentiſſimum artis et inimicum ſui iudicem, crebro perfecta ſigna fregiſſe, dum ſatiari cupiditate artis non potuerit, et ideo inſanum ab aequalibus nominatum

 fuiſſe,

4) *Jugemens des Savans.* T. I. p. 211. (ed. Pariſ. 1722.)

fuiſſe, Plinius prodidit 5). Ioannem Cimaboſium *) Florentinum, aiunt, ſiue ipſe, ſiue alii naeuum aliquem in operibus animaduerterint, perdidiſſe ea et fregiſſe 6). Cum in marmore Michael Angelus, ſenex iam, corpus Chriſti cruce detractum effingere vellet: ſiue, quod duritiem lapidis aegre vinceret, ſiue, quod ſibi ipſi diſpliceret, inchoatum opus diffregit; pluraque opera iam inchoata non perfecit, ſi naeuum aliquem in iis obſeruaſſet. Venetum pictorem, Sebaſtianum del Piombo tam tardum fuiſſe, commemoratur, vt, quae inchoauerat ipſe, ab aliis plerumque perficerentur. Rigaldus †) ſaepe deleuit, in

5) Hiſt. Nat. L. 34. p. 656. ed. Hard.

*) *Cimabue.*

6) *Sandrart Teutſche Academie.* T. II. p. 58. 154. 115. 83.

†) *Rigaud.*

in quibus complures dies consumserat, quaeque difficillimis arbitris placere possent 7), ipse in se durus reiiecit. Quid? quod Romae marmoreo capiti Flaminii Vaccae, ab ipso facto, haec addita leguntur:

D. O. M
FLAMINIO. VACCAE
SCVLPTORI. ROMANO
QVI. IN. OPERIBVS. QVAE. FECIT
NVNQVAM. SIBI. SATISFECIT 8)

Hic vero nescio, an maxime dolere debeamus ipsius auctoris sortem, qui, cum aliquam voluptatem habeat animumque exhilaret perfectum opus, multo labore consumto, praeter moerorem et mentis



7) *Reflexions Critiques sur les differentes ecoles de Peinture p. Mr. le Marquis D'argens* p. 124.

8) vid. Galletti Inscript. Inf. aeui. T. II. p. 391.

tis aegritudinem nullam mercedem accipiat;

*Cumque placet cunctis, displicet ipse sibi.*

Sed agamus paullo accuratius, et, cur nimiam diligentiam credamus noxiam esse, exponamus. Primum est ea natura elegantiae, venustatisque indoles, vt, si quaeramus studiosius eam in scribendo, raro inueniamus: quemadmodum opes, diuitiae, honores, gloria cupide appetentes fugiunt, ornant vero, a quibus fere negligi videntur. Sponte sese offerunt praeclarae sententiae, atque iis in mentem veniunt, qui patienter illius temporis opportunitatem exspectant,

*adflata est numine quando*
*Iam propiore Dei*

mens,

mens, iisque momentis apte vti ſciant, quibus Muſarum fauorem experiuntur:

*Deus ecce Deus!*

Quicunque ſuae naturae vim inferat, qui ingenium quaſi cogat, vt aliquid pulchri ſuggerat: non obtinebit, quae cupiat; aut frigida proferet; aut omnino ridicula. Non patitur elegantia et venuſtas imperium: non amat moroſi ſupercilii ſeueritatem: non iuſſa praeſto adeſt: orari vult, non cogi: blande allici, non trahi: inuitari, non citari. Praeclariſſimas ſententias, quas in veterum ſcriptis miramur, profecto magis inuentas, quam quaeſitas, arreptasque potius ab eis, quam arceſſitas eſſe, arbitror. Deinde ea ipſa, quae nimio ſtudio elaborata ſunt, ſcriptaque, raro aut nunquam placebunt. Contrahunt enim, neſcio quomodo, illa moleſtam aliquam

et triſtem ſeueritatem, quae, quam care illa conſtiterint auctori, oſtendit et prodit. Ipſi nobis videre videmur ſcriptoris illum nitentem vultum, caput ſaepe ſcabentis, viuosque arrodentis vngues, ſudantis, aeſtuantisque. Ipſi ſentire nobis videmur aliquid triſte, quod fatigat animum et facillime faſtidio implet. Certe ſi dederim, multa poſſe diligentia accuratius rectiusque dici, poſſe etiam ſublimitati orationis aliquid adſtrui: non tamen eadem opera illud obtineri poſſe puto, quod gratum, hilare, et amoenum, quod ea facilitate placeat, quam potius hoc anxio animi cruciatu extingui et minui credo. Praecipua in arte Apellis venuſtas fuit, atque, licet eadem aetate maximi pictores eſſent, et ipſe eorum opera miraretur, omnesque laudaret, omnibusque omnia concederet, ſibi ſoli vnam Venerem vindicauit, quam Charita

rita Graeci vocant. Nonne vero idem, cum Protogenis opus immensi laboris ac curae supra modum anxiae miraretur, fassus quidem est, omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora, sed vno se praestare, quod manum ille de tabula non sciret tollere? memorabili, addit, qui haec commemorat, Plinius 9), praecepto, nocere saepe nimiam diligentiam. Nempe, aut vehementer erro, aut illam venustatem, qua sua opera nitere videbat, eorum diligentiae incognitam esse, indicare voluit. Atque hoc facilius Tibi persuadebis, si exemplum statuarii antiqui, Callimachi, cogitaueris. Semper hic fuit calumniator sui, nec finem habuit diligentiae, ob id Cacizotechnos appellatus, memorabili exemplo, adhibendi curae modum. Huius fuisse saltantes

Lacae-

9) Hist. Nat. L. 35. p. 695.

Lacaenas, emendatum opus, ſed in quo gratiam omnem diligentia abſtuliſſe [10]), Plinius iudicauit, quo iudicio quid propius a mea ſententia abeſt? Illas effigies, quas Gerhard Dau *) Lugdunenſis, ferreae fere diligentiae pictor, quique multum temporis in ſcopa pingenda conſumſit, ideo moroſas eſſe, Sandrartus narrat, quia tarditate ſua hominibus, quos picturus tam diu vno loco ſedere cogeret, moleſtus fuerit, adeoque vultum eorum hanc moleſtiam profitentem expreſſerit [11]). Iacobum Caraccium, a patria

da

10) Hiſt. Nat. L. 34. p. 658. add. Pauſan. L. I. p. 63. ed. Kuhn.

*) *Douw.*

11) *Teutſche Academie der Bau- Bild- und Mahlerkünſte* T. III. p. 320. add. p. 176. add. *Hagedorns Betrachtungen über die Mahlerey.* P. I. p. 424. et P. II. p. 771. ſequ.

da Pontormo appellatum, quem etiam prae maerore, quoniam ſibi non ſatisfecerit, obiiſſe, quidam aiunt, dum quam perfectiſſimas tabulas multo ſtudio elaborare voluerit, earum pulchritudini detraxiſſe, Sandrartus iudicat [12]). Contra Iacobum da Ponte, cognomine Baſſanum illud operam dediſſe, laudant, vt omnia opera ſua facilitatis quandam ſpeciem, quaſi non multo cum labore perfecta, haberent, atque hinc etiam dicunt illam mollitiem pellium in agnis, aliisque rebus laeuitatem, quam tactu videaris apprehendere, ortam eſſe. Quam in Graecorum operibus ita obſeruare ſibi viſi ſunt periti iudices, vt, quae etiam elaboratiſſima eſſent, tamen ſine labore perfecta viderentur [13]),

vt

12) l. c. T. II. p. 127.

13) *Mariette Traité des pierres gravées p. 57.*

— *vt sibi quiuis*
*Speret idem, sudet multum, frustra-*
*que laboret,*
*Ausus idem.*

Neque pictorum Flandricorum assiduitatem tabulis eam nobilitatem, elegantiam, veritatem tribuere posse, iudicant harum rerum arbitri, quam se in Italorum picturis mirari dicunt, qui artem et laborem optime occultare, operibusque facilitatis gratiam dare sciant [14]). Tam verum est, quod nescio quem dixisse Durandus refert [15]), optabile esse, vt primae, quas duceret pictor, lineae felicissimae essent, neque aut mutare aut emendare illas cogeretur. Quod eodem credo iure de poetis aliisque scriptoribus dici posse. Nemo negabit facile,

14) *Felibien Entretiens. P. III. p.* 105.

15) *Histoire de la peinture ancienne extraite de Pline* p. 260.

facile, multas fuiſſe litteras, easque interiores et reconditas in Chriſtio, in quo clariſſimum Academiae Lipſienſis lumen exſtinctum fuiſſe, ſemper exiſtimaui. Sed pauci tamen ſunt, qui aut legant illius ſcripta, quamuis permulta ex eis diſci poſſe fateantur, aut, ſi legerint, ſe cum voluptate hoc feciſſe, dicant. Nam dum vnum quodque verbum examinauit vir abundanti doctrina, et incredibili quadam doctrinae varietate et copia, dum diligentiſſime cauit, ne excideret quidquam veteri Latio, Romaque indignum, dum nimium in ſcribendo ſtudium poſuit, immo dum ſaepe putabat, recte loqui eſſe inuſitate loqui, hac cura et diligentis ſtili anxietate iniucunda reddidit ſcripta ſua et pro liquido, fuſo ac profluente, exile, aridum et ſubobſcurum ſermonis genus attulit: omnibus profecto placiturus, ſi plus de acerbitate

illa

illa remittere voluiſſet. Memini etiam Bailletum narrare, in ſcriniis Vaugelaſii, poſt mortem viri, complures inuentas fuiſſe chartas, quibus verſionem Curtii Francicam inſcripſiſſet ita, vt variis modis rem tentaſſet: ſaepe vero primum tentamen aeque bonum, ac reliqua, viſum fuiſſe, interdum etiam melius[16]). Quemadmodum Pontanus nimia indulgentia, quaecunque in mentem venirent, amaſſe, et ſuis verſibus magis, quam ſibi peperciſſe fertur[17]): ita contra Taſſum et Sannazarium, nimis triſtes moroſosque ſuorum operum cenſores, ſibi obfuiſſe, legimus[18]). Atque vt antiqua etiam exempla addamus, Cicero Caluum dicit[19]) accura-

16) Baillet. l. c. p. 217.

17) Scaliger in Poet. L. VI. p. 311.

18) Racine *Reflex. ſur la poëſie. T. V. p.* 98.

19) in Bruto c. 82. add. Quintil. Inſt. Or. X, 1, 115.

accuratum et exquiſitum dicendi genus attuliſſe, quod quamuis ſcienter et eleganter tractauerit, nimium tamen in ſe inquirentem, atque ipſum ſeſe obſervantem, metuentemque, ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdidiſſe, oratione nimia religione attenuata. Quo etiam pertinet, quod de Iulio Floro narrat Quintilianus [20]. qui, cum Iulium Secundum triſtem vidiſſet, audiuiſſetque ex eo, ex quo omni labore materiae ad ſcribendum deſtinatae non exordium inueniret, iam tertium eſſe diem, reſpondit arridens: num quid tu melius dicere vis, quam potes? Hi, de quibus locuti ſumus, ſunt illi, quibus nihil ſatis eſt, qui omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrant, volunt; increduli homines et de

20) Inſt. Or. X, 3, 13.

de ingenio ſuo peſſime meriti, qui diligentiam putant, facere ſibi ſcribendi difficultatem, quibus nullum finem *calumniandi* eſſe, et cum ſingulis paene ſyllabis commorandi, idem Quintilianus ſcribit [21]). Calumniari enim, et calumniatores dicuntur illi cum ab hoc tum ab aliis, qui quaſi inſeneſcunt laboribus ſuis [22]). Denique etiam nimia diligentia non ſolum gratiam demit, ſed neruos etiam et robur orationis infringit. Accidit, vt Quintilianus inquit, vt cicatricoſa ſint, et exanguia, et cura peiora eiusmodi opera [23]). Dum, vt imperiti medici, malum ſanguinem detra-

21) Inſt. Or. VIII. prooem. 31.

22) Ib. X, 3, 10. Nec enim rurſus eos, qui robur aliquod fecerint in ſtilo, ad infelicem *calumniandi* ſe poenam alligandos puto. X, 7, 14. infelix verborum cauillatio.

23) Inſt. Or. X, 4, 3.

detrahere volunt, etiam bonum amittunt, et, qui neruos tegit, ruborem, quique corpus commendat, decorem. Non adeſt vis: oratio flacceſcit. Habuit quidem et antiqua et recentior aetas artifices, quibus moroſa pingendi caelandique ſubtilitas miro modo profuit, ſed factum illud fuit fortuito caſuque. Nam Nealces et Protogenes [24]), cum ille equum, hic canem, ſpumantem pingere vellent, et in tam parvula re multum ac diu fruſtra laborarent, indignatione accenſi, ſpongiam, velut corrupturi opus ſuum, inuiſo loco tabulae impegerunt: quam fortuna deſiderium pictoris explere, et colores, qualiter cura optaret, efficere iuſſit. Atque etiam Pugetio *) Milonem fingenti,



24) Valer. Max. VIII, 11. et Plin. Hiſt. N. L. 35. p. 699.

*) *Puget.*

ti, neque in exprimendo dolore et labore huius athletae ſibi ſatisfacienti idem fere accidiſſe, notum eſt [25]. Quemadmodum vero in his naturae fortuna ſuccurrit: ita Car. Natoirum plus vigoris, idem, cuius teſtimonio modo vſus ſum, ſcriptor, tabulis ſuis tributurum eſſe, iudicat, ſi magis, cui imperare cupit, ardori indulgeret [26], qui pictoribus cum poetis communis eſt. Quod etiam antiquiori artifici, Iulio Romano, accidiſſe putat Felibienus, comparatis pictis tabulis cum iis, in quibus lineas argumenti futuri duxerat [27]. Pari modo ſcriptor eneruat opera ſua, et quemadmodum non poteſt non diuturno labore

animus

25) v. *Obſervations ſur les arts & ſur quelques Morceaux de Peinture & de ſculpture expoſés au Louvre* (a Leyde, 1748.) p. 125.

26) Ib. p. 32.

27) *Entretiens P. II. p.* 110. adde p. 146.

animus languefcere, ita etiam carmen aut oratio illum languorem nancifcitur. Non vtor equidem exemplo Capellani *), de quo omnium in ore funt illi verficuli:

*Ifta Capellani dudum exfpectata puella*
*Poft tanta in lucem tempora prodit anus.*

nam ab ifto non magis dignum tanta exfpectatione carmen fperari poterat, quam ab eo, qui noftro fermone verfus bene multos de Hermanno fcripfit, aut obliuioni potius aeternisque tenebris tradidit. Pertinent huc, quae Scioppius difputauit 28), qui non male dicit, fieri poffe, vt oratio alicuius, etfi minus

 pura,

*) *Chapelain.*

28) in iudicio de ftilo hiftorico et in exercitat. rhetor.

pura, nec ſatis elegans, aut ornata, aut copioſa, ſit tamen acuta, et venuſta, libenterque legatur, et alius oratio emendata, elegans, aequabilis, ornata et copioſa, ſit ſimul hebes et obtuſa, nec vllo venuſtatis lenocinio lectori commendetur. Illius exemplum eſſe in Politiano, huius in Paulo Manutio, cuius litterarum, licet elegantium, et quaſi ſeſamo et papauere ſparſarum, nequaquam tamen eam eſſe gratiam, quae hominem, niſi valde otioſum, ad iteratam lectionem inuitet. Cauſam vero dicit eſſe huius faſtidii hanc, quod prae nimia emendandi cupiditate ſaepe epiſtolis primo vere coeptis adulto demum ac praecipite autumno vltimam manum impoſuerit: inter verſus quatuor digitorum interuallo relicto, vt reponendis eis, quae in Nizolii aut Calepini verborum indice ſubinde meliora reperirentur,

rirentur, ſatis ſpatii ſupereſſet. Qua in narratione niſi etiam omnia alicui vera videantur, ipſum tamen iudicium non eſt temere reiiciendum. Vt igitur ſummam cogitationum faciam, iubeo ſcriptorem, quae compoſuerit, in aliquod tempus reponere, premere aliquantiſper; recitare amicis, audire eorum conſilia, mutare, emendare, recidere, addere, nec amicae doctaeque reprehenſioni repugnare: nolo illum protinus cunctis ſe offerentibus gaudere, vitia ſua amare, et tueri, aut ſibi indulgere nimium. Adhibeat limam, quanquam pro carminis ratione diuerſam. Magis enim eam mores et deſcriptiones carminis epici, magis etiam epigrammatis rotundum acumen, quam amaritudo et vehementia iamborum, et elegorum mollitudo, et lyricorum ſublimis ſpiritus aut libera iucunditas admit-

 tent.

tent. Placet mihi Boelaeus, qui eas verſuum ſuorum cenſuras ſe maxime timere, profitebatur, quas ipſe faceret. Sed placet etiam, qui de hac re praeclara praecepit, illud Quintiliani conſilium: *Sit aliquando, quod placeat, aut certe, quod ſufficiat: vt opus poliat lima, non exterat* [29]*):* audio etiam Plinii [30]): *eſt tamen aliquis modus; nimia cura deterit magis, quam emendat.* Imitari ſcriptorem patris volo ſapientiam, quae vitiis liberorum non indulget, ea tollit, animosque paruulorum corrigit: non vitrici aut patrui acerbam ſeueritatem, quae ſemper pertriſtis, ſemper querula, difficilis, nulla re, niſi reprehenſione, obiurgatione, caſtigatione delectatur, cuique nullo modo et tempore ſatisfieri poteſt. Sed quid moror

29) Inſt. Or. X, IV, 4.
30) Epiſt. IX, 35. add. V, 11.

moror totam rem venuſtis Hier. Vidae [31]) verſibus tradere? quo quis aut melius rem intellexit, aut elegantius docuit? Ne igitur liber Tibi euoluendus ſit, eos ipſe infra ſcribam.

*Non totam ſubito praeceps ſecura per vrbem*
*Carmina vulgabit; ah! ne ſit gloria tanti,*
*Et dulcis famae quondam maleſana cupido!*
*At patiens operum, ſemper metuensque pericli*
*Exſpectet, donec ſedata mente calorem*
*Paulatim exuerit, foetusque abolerit amorem*
*Ipſe ſui, curamque alio traduxerit omnem.* —



31) cui adde Boelaeum in Arte poet. L. I. a v. 163.

*Tum demum redit, et post longa oblivia per se*
*Incipit hic illic veterem explorare laborem. —*
*Tum retractat opus, commissa piacula doctae*
*Palladis arte luens, nunc haec, nunc reiicit illa. —*
*Arduus hic labor: hic autem durate poetae,*
*Gloria quos mouet aeternae pulcherrima famae —*
*Verum esto hic etiam modus: huic imponere curae*
*Nesciuere aliqui finem, medicasque secandis*
*Morbis abstinuisse manus, et parcere tandem*
*Immites, donec macie confectus et aeger*

*Aruit*

*Aruit exhausto velut omnis sanguine foetus,*
*Natiuumque decus posuit, dum plurima vbique*
*Deformat sectos artus inhonesta cicatrix.*
*Tuque ideo vitae vsque memor breuioris, vbi annos*
*Post aliquot, (neque enim numerum neque tempora pono*
*Certa tibi) addideris decoris satis atque nitoris:*
*Rumpe moras, opus ingentem dimitte per orbem,*
*Perque manus perque ora virûm permitte vagari.*
*Continuo laeto te dulces vndique amici*
*Gratantes plausu excipient: tua gloria coelo*

*Succe-*

*Succedet, nomenque tuum ſinus vltimus orbis*
*Audiet, ac nullo diffuſum abolebitur aeuo.*

## *EPISTOLA V.*

*Proueniant hilares ſic mihi ſaepe dies!*

Non enim poſſum, quin exclamem! Tanta hodie voluptate toto me animo, ipſisque etiam intimis venis atque medullis commoueri ſenſi. Neque luculentiorem, pulchrioremque hoc diem vidi, neque maiore vnquam laetitia perfuſus fui, quam tacitam animo continere nequeo. Lubuit oculos animumque pulcherrima reuiuiſcentis naturae ſpecie paſcere: lubuit ſentire comitem

mitem redeuntis veris, leniter ſpirantem Fauonium: nouo collucentes decore arbores, iamque dehiſcentem et ſenſim ſeſe pandentem roſam aſpicere et tractare lubuit. Omnia mihi arridere, omnia me ad laetitiam inuitare viſa ſunt: ipſae auiculae me frigus vmbrasque captantem de ramis opaciſſimarum arborum ſalutare. Mecum habebam perpetuos comites candidiſſimosque ſodales meos, (quanquam, quid dico meos? omnibus illi in amore et deliciis ſunt, qui modo cum Muſis aliquod commercium habeant,) quorum honos et ſumma laus, quamdiu ſteterit aut Latinae linguae potentia, aut Graecae gratia, aut Italicae mollitudo, aut Francicae venuſtas, vigebit. Hos inter ſe committere, et certamen quaſi aliquod ſplendidum ingeniorum inſtituere viſum eſt. Nihil enim lubentius facio, quam vt comparem

rem inter se summorum hominum virtutes, eorumque opera ita examino saepissime, vt, quomodo Homerus, Virgilius, Tassus, reliqui, quos nosti, in vna eademque re commemoranda versati sint, videam. Quod dum facio, non solum censuram praeclarissimorum scriptorum agere, sed etiam quasi historiam humani ingenii contexere mihi videor. Admiror felicissimam Ciceronis vbertatem: aureum orationis flumen, quod illius proprium esse videtur, quod nunquam arescit, quod quasi limpidissimam et beatissimam copiam aquarum alit, quod omnia occupat, me delectat. Sed cum horrore aliquo audio videoque Demosthenem in copiosa orationis breuitate et vberrima verborum parsimonia non persuadentem, sed cogentem, non dicentem, sed iubentem, non loquentem, sed tonantem cum Deorum maiestate

ieſtate fulgurantemque. Placent paſtores Theocriti, nullis aliis rebus ornati, quam quas rura praebent, nihil loquentes agentesque, quod non faciem ruſticae vitae deceat, quod non ex animi ſententia dictum eſſe videatur: video aperta, nullisque vitiis contacta pectora: agnoſco ſine candoris ruborisque medicamentis formoſum, elegantiaque modo et munditia placentem vultum: capit me hic veritatis ſine vllo fuco color, et innocentia illa, nudaque ſimplicitas, coniuncta cum animo amoeniſſimis imaginibus, quae rure viuentibus obuerſantur, pleno: ipſa ea grata negligentia delectat, quae, neſcio quomodo, antiquis illis temporibus optime conuenit, illud aureum et criminum inops ſeculum decet. Sed haec melius intelliguntur, ſi, illis relictis, nos ad Virgilianos paſtores conferamus. Quoties nobis, non homines rure natos educatosque,

tosque, ſed in aula Auguſti, in elegantiſſima vrbe, verſatos audire videbimur! Acuti ſunt boni viri, ſunt ingenioſi, doctrinam etiam oſtentant, ſententias, ſi DIs placet, loquuntur, vno verbo, tantum ab illa, quam ſermone referre debebant, ſimplicitate abſunt, quantum a Theocriti aetate Virgilius, quem (ſed hoc Tibi in aurem dico. praeter Te, caue, quisquam comperiat, hoc improbum verbum ore meo exiiſſe.) mediocris poetae nomine contentum eſſe debere arbitror, ſi praeter carmina illa nihil reliquiſſet, quod laude et admiratione dignum eſſet: qua de re puto Te optime iudicare poſſe;

*nam Te calamos inflare labello*
*Pan docuit, verſuque bonus Tibi fauit*
*Apollo.*

Non poſſum ſatis maieſtatem Pindari admirari, illamque vim ingenii, qua elatus

elatus terram relinquit, et coelum ſolemque, vt aquila, petere videtur. Horatium vero complector et amo. Illum, vt Iouem aliquem, venerari, hunc, vt Apollinem, diligere: ad eum raro viſere et quaſi numini quotannis tura et odores accendere: hoc contubernali et quotidiano conuictore frui, hunc arcte familiariterque diligere, cum hoc ſeria, cum hoc iocos miſcere malo. Quae, vt ab vniuerſo opere ad ſingulas partes tranſeamus, Homerus primus inuenit, ſimpliciterque expoſuit: ea politius limatiusque Virgilius explicuit; quem deinde optimos recentiorum poetarum ita ſecutos eſſe video, vt alia adderent, mutarent alia, nonnulla reſcinderent. Quae dum mecum conſidero, dum, quibus ab initiis orta ſententiae cuiusdam venuſtas aut ſublimitas, paullatimque aucta, a variis et diuerſis ſcriptoribus

 ampli-

amplificata, ornata, et polita ſit, intelligo: ſaepe accidit, vt, cui ſumma laus debeatur, fere neſciam. Contulit enim pro ſe quisque ad ornandam rem, quam nudam accepit: quae quaſi indotata et incomta filia fuerat, eam verborum candore locupletauit quisque, liberaliterque omnibus, quibus ſplendere poſſet, inſtruxit: maximi omnis aetatis homines de principatu ingenii certamen inierunt. Quo quod acroama poteſt eſſe iucundius? qua concione quae ſuauior?

*Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures!*

Equidem hodie incidi in eum locum Iliados, vbi Diſcordiae imaginem exhibet Homerus, quae digna eſt ingenio et fama viri, quem ingeniorum eſſe principem, quicunque de his litteris recte iudicarent, arbitrati ſunt. Quid enim,

enim, Vir doctiſſime, putas ſublimius magnificentiusque his dici poſſe:

*Diſcordia, Martis homicidae ſoror*
*comesque,*
*Quae initio parua ſeſe extollit, et mox*
*Caput caelo condit, et ſolo ingredi-*
*tur.* [1])

Habet profecto hic locus inſitam aliquam vim, qua animus lectoris commouetur, habet lucem ſtatim oculos ferientem ſuo ſplendore. Non opus eſt, vt operoſius ſublimitas ſententiae explicetur: ſentitur illa ſtatim. Certe, quo nemo melius et intellexit et docuit, quid ad ſublimitatem orationis pertineret, Longinus, quem dum irridet, qui ſibi ſolus

 ſapere

1) Δ. 440.

— Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε,
Ἥ τ᾽ ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ
ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

ſapere videbatur, melius autem famae ſuae conſuluiſſet, ſi de rebus, quas non intellexit, et quarum ſtudium iuuenis neglexerat, tacuiſſet, Thomaſius [2]), clariſſime oſtendit, ſe aut nunquam illius librum legiſſe, aut omnino de his rebus iudicare non potuiſſe, ille igitur Longinus, non eſſe hanc Diſcordiae, ſed eſſe ipſius poetae menſuram [3]), profeſſus eſt. Quo quidem iudicio etſi vix maius quidquam cogitari poteſt, nullum tamen eodem verius. Solus Phidias ſtatuam Olympii in Elide Iouis, cuius maieſtas Deum aequaret, quaque nullum praeſtantius aut admirabilius ſimulacrum humanae fabricaſſe manus dicebantur, fecit. Solus Raphael, qui terrae motum pingere volebat, illam

2) in Cautelis p. 112.

3) περ. ὕψ. IX, 9. καὶ τοῦτ᾽ ἂν εἴποι τις οὐ μᾶλλον τῆς Ἔριδος, ἢ Ὁμήρου μέτρον.

lam formidolofam immanis gigantis figuram, qui terribili vultu ftatuque minaci terram motu fuo quafi tollere videbatur, inuenit. Solus Homerus Difcordiae tantum fpatii tribuit, quantum inter coelum et terram aëris fit interuallum. Hic vero diuerfa hominum iudicia vide. Putasne fieri potuiffe, vt eandem hanc fententiam, quam Longinus tantopere laudat, quam ego admiror, alius vituperaret et rideret? Nihil dico de ineptiffimo veterum cenfore, Perralto 4), miferrimo homine, qui etiam hunc Homeri locum reprehendit, (quanquam fatis ridicule, famam ab Homero defcriptam effe, putat,) merito refutatus, totoque Helicone plaudente refutatus a Boelaeo 5). Putasne



4) Parallèle, T. III. p. 119.

5) *Reflexions critiques fur quelques paffages de Longin. IV.* p. 91. (ed. Amftel. fol.)

Iul. Caeſ. Scaligerum [6]) haec ſcribere potuiſſe: *Quae vero apud Gellium nugantur Grammatici de Eride Homerica et Fama Virgiliana, valde ridicula ſunt. Clamant, quod Maro de Fama dixit, eam inter nubila caput condere: quum tamen Homerus, vnde ipſe accepit, in coelo caput Eridis conſtituat. Iam tibi pro me reſpondeo: non ſum imitatus, nolo imitari. non placet. non eſt verum, Contentionem ponere caput in coelo. ridiculum eſt. fatuum eſt. Homericum eſt. Virgilianum non eſt. Romanum non eſt. Praeterea latet eos vis iudicii Maroniani. Abſcondit enim Famae caput nubibus, propterea, quod Famae caput, id eſt, author rumorum fere incertus eſt.* Haec Scaliger, quibus, neſcio, an quidquam clarius oſtendat, veriſſime dixiſſe Iac. Palmerium:

6) in Poet. L. V. p. 227.

merium [7]): Hypercriticon Scaligeri multum audaciae, parum iudicii habere. Quis enim credat, eum, qui quaſi Apollo quidam ſibi tantos ſpiritus ſumſerit, vt praeclariſſimorum ingeniorum cenſor eſſe appellarique cuperet, e Virgiliano loco eam ſententiam elicere potuiſſe, quam rideret, ſi ex inferis redire, ſi audire haec poſſet, elegantiſſimus poeta? Patetne igitur latius, et ad Latinam quoque poeſin pertinet illa Ioſephi filii vox [8]): patrem non ſatis intellexiſſe Graecorum poeſin. Certe illa acuta interpretatio, illa *vis iudicii Scaligeriani* parum decere videtur virum, qui ſibi vnus omnium optime artes poetarum intelligere viſus eſt, quique tam magnifice de his ſeptem Poe-



7) in Apolog. Lucani (ed. Berkel. Lugd. 1704.) p. 17.

8) in Scaliger. p. 278.

tices libris ſenſit iudicauitque 9). Quód olim Nicomachus cuidam, qui Zeuxidis Helenam non pulchram videri dixerat, reſpondit: Sume tibi meos oculos, et Deam exiſtimabis: idem Longinus aliquis aut Boelaeus Scaligero Homericam Diſcordiam vituperanti reſpondere mihi videtur. Sed Virgilii locum paullo poſt examinabimus. Aliquantum enim temporis dandum eſt Callimacho, Homerum, ſed, quantum equidem iudico, hoc certe loco, parum feliciter ſecuto 10). Eriſichthonem, narrat, ſacrum Cereris lucum exſcidiſſe: Deam, forma ſacerdotis Nicippae aſſumta, Eriſichthonem oraſſe, vt deſiſteret incepto: illum

9) In Epiſt. 78. p. 251. *Libri hi, praeter caeteros meos, multa variaque eruditione ſunt opulenti, multorum iudiciorum acrimonia admirabiles.*

10) in Hymno in Cererem.

illum vero, recede, dixiſſe, his arboribus, domum tegam, vbi poſthac ſodalibus meis epulum praebebo. Tum

*Ceres immenſum ſuccenſuit, rurſusque Dea facta eſt:*
*Veſtigia illius terram, caput vero tangebat coelum.* 11)

Serui, Dea conſpecta, aufugiunt: ipſa vero Eriſichthoni dicit: Nunc, para, canis, canis, domum, vbi epuleris. crebras enim poſthac habebis epulationes 12); quibus dictis, vehementem homini famem immiſit. Iam Callima-

 chum

11) Δαμάτηρ δ' ἄφατόν τι κοτέσσατο· γείνατο δ' ἁ θεύς,
Ἴθματα μὲν χέρσῳ, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ' ὀλύμπῳ. v. 58.

12) Ναὶ, ναὶ, τεύχεο δῶμα, κύον, κύον, ᾧ ἔνι δαῖτας
Ποιησεῖς· θαμιναὶ γὰρ ἐς ὕστερον εἰλαπίναι τοι.

chum ante oculos habuiſſe Homerum, facile patet. Quam bona vero expreſſerit imitatione illius ſententiam, nunc quaeramus. Credo, laudandum eſſe poetam, ſi Deos corporis maieſtate conſpicuos pinxiſſet. Semper poetae proceram ſtaturam Diis Deabusque tribuerunt, qua facile agnoſcantur, Deosque minores aut mortales ſuperent. Diana apud Virgilium [13])

*pharetram*
*Fert humero, gradiensque Deas ſupereminet omnes.*

eademque apud Ouidium [14]) nymphis

*altior illis*
*Ipſa Dea eſt, colloque tenus ſupereminet omnes.*

Pariter apud Homerum Pallas et Mars magni ſunt et conſpicui, homines autem

13) Aen. I. 500.
14) Metam. III, 182.

tem minores [15]): et non ſolum ad Cyrum moriturum aliquis homine maior acceſſit [16]), ſed etiam conſules Romani in quiete viderunt ſpeciem viri maioris, quam pro humano habitu, auguſtiorisque [17]). Sed non recte hoc loco puto Callimachum tantam Deae maieſtatem tribuiſſe. Quid enim opus erat, vt illa coelum capite attingeret? vnus adfuit Eriſichthon cum manu ſeruorum. Hanc vt ab exſcindendis arboribus deterreret, ſtatura, quae poteſt cogitari maxima, apparet. magna fortaſſe ſtrages editur? non. quid igitur? Eriſichthoni nunciatur, graui illum fame vexatum iri. Hoccine erat? hanc ob cauſam Dea omnem maieſtatis ſplendorem colligebat? Quibus vero verbis Dea Eriſichthoni

15) Il. Σ. 516.

16) Cyropaed. Xenoph. L. VIII.

17) Liv. VIII, 6, 9.

ni hanc calamitatem praedicit? grauibus procul dubio, et dignis reliquo ſcenae huius apparatu. Immo ea Dea, quae coelum capite attingit, irridet ſceleratum hominem, verbis illius repetitis. quod dicendi genus non reliquae rei magnitudini reſpondere exiſtimo. Debebat profecto aut iis verbis Dea iram ſuam declarare, quae haberent vim et terrorem, aut aliam illi imaginem poeta tribuere. Placent mihi illa Virgilii de Venere 18):

*Dixit, et auertens roſea ceruice refulſit,*
*Ambroſiaeque comae diuinum vertice odorem*
*Spirauere: pedes veſtis defluxit ad imos,*
*Et vera inceſſu patuit Dea.*

Graeciam

18) Aen. I. 402.

Graeciam nos relinquere cupientes retinet Quintus Calaber, quem ſe etiam ad Homeri imitationem contuliſſe recordamur. Illius verſus de Diſcordia ita vertit Laur. Rhodomannus:

"Illos itaque in vnum perduxit „ locum Contentio, pugnae domina- „ trix, nulli apparens. Humeris enim cir- „ cumdatam habet nubem cruentam, et „ incedit magnum ciens tumultum, nunc „ in Troianorum agmen, nunc Achiuo- „ rum; quam Metus et Terror intre- „ pidi ſtipant, magnanimam patris ger- „ manam venerantes; quae ex paruo in „ immenſum ſe concitata attollit, arma- „ que habet ex adamante, tabo foeda- „ ta, et pernicioſam in aëra vibrat ha- „ ſtam, eiusque ſub pedibus atra tel- „ lus commouetur. Ignis etiam vapo- „ rem exſpirat horrendum, magnum- „ que „

„que edit clamorem, exhortans iuue-
„nes 19).“

Ad

19) Paralip. X, 53.
Τοὺς δ' ἄγεν εἰς ἕνα χῶρον Ἔρις μεδέουσα κυδοιμόν,
Οὔτινι φαινομένη· περὶ γὰρ νέφος ἄμφεχεν ὤμοις
Αἱματόεν· φοίτα δὲ μέγαν κλονέουσα κυδοιμὸν
Ἄλλοτε μὲν Τρώων ἐς ὁμήγυριν, ἄλλοτ' Ἀχαιῶν·
Τὴν δὲ Φόβος καὶ Δεῖμος ἀταρβέες ἀμφεπένοντο,
Πατροκασιγνήτην κρατερόφρονα κυδαίνοντες·
Ἣ δὲ μέγ' ἐξ ὀλίγοιο κορύσσετο μαιμώωσα·
Τεύχεα δ' ἐξ ἀδάμαντος ἔχεν πεπαλαγμένα λύθρῳ,
Πάλλε δὲ λοίγιον ἔγχος ἐς ἠέρα, τῆς δ' ὑπὸ ποσσὶ
Κίνυτο γαῖα μέλαινα· πυρὸς δ' ἄμπνυεν ἀϋτμὴν
Σμερδαλέον, μέγα δ' αἰὲν ἀΰτεεν, ὀτρύνουσα
Αἰζηούς.
aliam Discordiae imaginem dat in L. XI, 8.

Ad hunc locum Io. Cornel. Pauw, homo nec meo iudicio ſtultus et ſuo valde ſapiens, haec notauit: *Hoc inepte huc translatum ex Homeri loco notiſſimo Il. Δ. Vide modo. Interpres tempora mutauit, vt vitium lateret.* Quae quidem non ſine cauſa notari puto, licet Pauuius alias nimis acerbe et inique de poeta hoc, (ſiue Quintum Calabrum, ſiue Cointum Smyrnaeum eum appellare malis. neque enim de hac re pugnabo) iudicet. Habet ille profecto multa, quae ingenium praeclarum, poeticum, magnarum rerum concipiendarum capax ſpirent: habet, quae placeant, etiam vbi peccat, vt in hoc ipſo loco. Sed

*Infelix operis ſumma, quia ponere totum*
*Neſcit.*

Receſſit quidem in imagine Diſcordiae formanda ab his exemplis Petronius, ſed

ſed elegantiſſimis tamen verſibus eam pinxit:

*Intremuere tubae, ac ſciſſo Diſcordia crine*
*Extulit ad ſuperos ſtygium caput. Huius in ore*
*Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant.*
*Stabant aerati ſcabra rubigine dentes,*
*Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora,*
*Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra*
*Atque inter fremitus laceratam pectore veſtem.* 20)

Quis vero pictor melioribus coloribus hoc monſtrum pingere poteſt? Quantam

20) in Satyr. c. 124. p. 766. ed. Burm. vltimo in verſu, neſcio, cur interpretes tantas

tam vim habet inprimis fax illa, flamma ſanguinei coloris collucens? Quanta laude dignus eſſet Petronius, ſi, pro illa rerum verborumque turpitudine, qua ruborem offundit ingenuis lectoribus, vbique ea dediſſet ingenii ſpecimina, quae laudem et admirationem poſteritatis ferrent. Laceratam veſtem tribuit Diſcordiae etiam Virgilius:

*Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla,*
*Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.* 21)

Manea-

tantas difficultas inuenerint. Dicit, ni valde erro, eam vehementer veſtem commouiſſe: qui habitus eſt iratorum. in verſu tertio placet Burmanni coniectura: *ſtabant.*

21) Aen. VIII, 702.

Maneamus vero in Virgilio, qui, quae de Diſcordia pater Homerus dixit, ea ad Famae imaginem effingendam transtulit. Praeclarus eſt ille locus 22):

*Fama, malum, quo non aliud velocius vllum*
*Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:*
Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit.
*Illam Terra parens, ira irritata Deorum,*
*Extremam, vt perhibent, Coeo Enceladoque ſororem*
*Progenuit, pedibus celerem, et pernicibus alis,*
*Monſtrum horrendum, ingens: cui quot ſunt corpore plumae,*
*Tot*

22) Aen. IV, 174. ſequ.

*Tot vigiles oculi ſubter, (mirabile dictu)*
*Tot linguae, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.*
*Nocte volat coeli medio, terraeque per vmbram*
*Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.*
*Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,*
*Turribus aut altis, et magnas territat vrbes:*
*Tam ficti prauique tenax, quam nuntia veri.*

Hanc tam mira arte expreſſam imaginem dum legimns, oliuiſcimur fere, praecipuam partem auctori Homero deberi, neſcimusque, vtrum laudemus magis Latinum poetam, qui et, quae de alia re dicta erant, ſuo argumento ingenioſiſſime aptauit, et non pauca ad-

didit, illis non deteriora, an Graecum, cui inuentionis laus debetur. Lubet vero admirari acumen et ingenium Grammaticorum quorundam apud Macrobium [23]), [nam quod Gellii nomen Scaliger ſupra poſuit, memoria, credo, lapſus eſt] quorum exſtat cenſura huius loci, digna illa pallio et barba hominum. *Homerus*, inquiunt, ἔριν, *hoc eſt, Contentionem a paruo dixit incipere, et poſtea in incrementum ad coelum vsque ſubcreſcere. hoc idem Maro de Fama dixit, ſed incongrue. neque enim aequa ſunt augmenta contentionis et famae. quia contentio, etſi vsque ad mutuas vaſtationes ac bella proceſſerit, adhuc contentio eſt, et manet ipſa, quae creuit: fama vero, cum in immenſum prodit, fama eſſe iam deſinit; et fit*

23) Saturn. L. V. p. 417. ed. Pariſ. a. 1585.

*ſit notio rei iam cognitae. quis enim iam famam vocet, cum res aliqua a terra in coelum nota ſit? Deinde nec ipſam hyperbolen potuit aequare. ille coelum dixit, hic auras et nubila. Haec autem ratio fuit non aequandi omnia, quae ab auctore transſcripſit, quod in omni operis ſui parte alicuius Homerici loci imitationem volebat inſerere, nec tamen humanis viribus illam diuinitatem vbique poterat aequare.* Quid eſt acute philoſophari, ſi hoc non eſt? Sed quomodo factum eſt, vt boni viri non intelligerent, Virgilio nihil aliud propoſitum fuiſſe, quam vt indicaret, quam facile fama alicuius rei vbique diſſeminetur, omnia impleat, a paruis initiis in immenſum creſcat? Quod vero *nubila* dixit, nonne dixit nubes, id eſt, coelum illam tangere? Quare aequa eſt vtriusque poetae laus, licet in diſſi-

mili re. Non ignota esse potuit Virgiliana Famae descriptio Ouidio, qui tamen, cum sibi occasionem oblatam videret eandem rem pingendi, fretus vbertate ingenii, non dimisit eam, non timuit quasi in certamen cum diuino Aeneidos auctore descendere. Illius versus hi sunt 24):

*Orbe locus medio est, inter terrasque fretumque*
*Coelestesque plagas, triplicis confinia mundi:*
*Vnde, quod est vsquam, quamuis regionibus absit,*
*Inspicitur, penetratque cauas vox omnis ad aures.*
*Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce:*
*Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis*

*Addidit,*

24) Metam. XII, 39.

*Addidit, et nullis inclusit limina portis.*
*Nocte dieque patet. tota est ex aure sonanti:*
*Tota fremit: vocesque refert, iteratque, quod audit.*
*Nulla quies intus, nullaque silentia parte.*
*Nec tamen est clamor, sed paruae murmura vocis,*
*Qualia de pelagi, si quis procul audiat, vndis*
*Esse solent; qualemque sonum, cum Iupiter atras*
*Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.*
*Atria turba tenent: veniunt leue vulgus, euntque.*
*Mistaque cum veris passim commenta vagantur*

*Millia rumorum, confuſaque verba volutant.*
*E quibus hi vacuas implent ſermonibus auras:*
*Hi narrata ferunt alio: menſuraque ficti*
*Creſcit; et auditis aliquid nouus adiicit auctor.*
*Illic Credulitas, illic temerarius Error,*
*Vanaque Laetitia eſt, conſternatique Timores,*
*Seditioque repens, dubioque auctore Suſurri.*
*Ipſa quid in coelo rerum, pelagoque geratur,*
*Et tellure, videt, totumque inquirit in orbem.*

Vides Ouidium longe aliam iniuiſſe viam. Forte ad perſonam Famae pingendam

gendam omnia a Virgilio iam praerepta ſibi eſſe putauit, nec credidit, ſe aliquid noui inuenturum eſſe. Quare aedes exſtruxit, in quibus Fama ſedem haberet, quaeque ad eiusmodi domum pertinerent, congeſſit omnia. Atque etiam non nego, Muſis et Apolline fauentibus, hoc opus molitum eſſe poetam, et multiplicem varietatem illi conciliaſſe. Sed ne, quid ſentiam, diſſimulem, videtur mihi deſcriptio Virgiliana ſublimior, atque, vt ita dicam, fortior, Ouidiana ingenioſior, artificioſiorque. Praeterea duo vltimi verſus bene ab Ouidio omitti potuiſſent. Occurrit enim, nulla, niſi verborum, mutatione adhibita, idem ſenſus in tertio et quarto verſu. Verum hoc eſt proprium ingenii Ouidiani: neſcire, vbi deſinere debeat, indulgere ſibi, quaecunque ſumma ingenii copia ſuggeſſerit, profun-

dere, et amare vitia ſua. Contra, vt ad recentiores progrediamur, non tam imitatus eſt, quam Gallice expreſſit Virgilium Ruſſauius *) in carmine ad Eugenium. „Quae eſt illa Dea „immanis 25) aut potius illud mon-„ſtrum deforme? auribus oculisque tota „eſt

*) *Rouſſeau.*

25) *Quelle eſt cette Deeſſe enorme,*
*Ou plutôt ce monſtre difforme,*
*Tout couvert d'oreilles & d'yeux,*
*Dont la voix reſſemble au tonnerre,*
*Et qui des pieds touchant la terre,*
*Lache ſa tête dans les cieux?*
*C'eſt l'inconſtante Renommée.*
*Qui ſans ceſſe les yeux ouverts*
*Fait la revûe accoutumée*
*Dans tous les coins de l'Univers,*
*Toujours vaine, toujours errante,*
*Et meſſagére indifferente*
*Des verités & de l'erreur.*
*Sa voix en merveilles féconde*
*Va chez tous les Peuples du monde*
*Semer le bruit & la terreur.*

eſt obſita: tonitrus vim habet illius „ vox: pedibus terram tangit et caput „ nubibus inſerit. Haec eſt mobilis „ Fama, quae perpetuo apertis oculis „ omnes totius orbis angulos perluſtrat: „ ſemper vana, ſemper errans, et cum „ veri tum falſi nuntia: vox illius res „ miras praedicat, ad omnes populos „ penetrat, rumores terroresque diſſe- „ minat. „

Hic video nihil a Ruſſauio additum Virgilianae deſcriptioni, niſi quod cum tonitru vocem Famae comparauit: id quod carmini lyrico melius conuenire fortaſſe putauit. Indignatiunculam tamen, quam e lectione huius loci cepi, non poſſum mihi temperare, quo minus apud Te effundam. Virgilius vno, quod Gallus ſex verſibus, comprehendit. Ter repetit poeta, cui ingenium defuiſſe, quis dicere auſit? et repetit, in

eo argumento, quod ſatis varietatis admittit, ter hanc ſententiam: Deam eſſe vanam, falſa nuntiare: vocem illius abundare mirarum rerum narratione: rumores eandem diſſeminare. Maiorem laudem tribuo Voltario, veterum poetarum optimo cuiuis pari, qui eadem in re deſcribenda elaborauit. Repetam illos verſus ex immortali, quo Henricum cantauit, carmine:

„ 26) Prompta cum veri tum falſi „nuntia, quae curſu creſcit, et, tempore „velo-

26) *Du Vrai comme du Faux la prompte Meſſagére,*
*Qui s'accroit dans ſa courſe & d'une aile legere*
*Plus prompte, que le tems, vole au-delà des mers,*
*Paſſe d'un Pole à l'autre, & remplit l'Uniuers,*
*Ce monſtre composé d'yeux, de bouches, d'oreilles,*

*Qui*

velocior, facili penna a polo ad po-„ lum volat, totumque orbem replet:„ hoc ex auribus et oculis oribusque com-„ positum monstrum, quod regum et„ mala et admirabilia facta celebrat, quod„ tenet curiositatem, spem, terrorem, du-„ bitationem, et credulitatem, voce il-„ lustri, tuba gloriae, victoriam herois„ Franciae nuntiabat.„

Feliciter comparauit hoc loco Voltarius velocem Famae volatum cum temporum fuga: in qua comparatione audacia quaedam inest, quae placet. Quod etiam

*Qui célébre des Rois la honte ou les merveilles,*
*Qui rassemble sous lui la curiosité*
*L'espoir, l'effroi, le doute, & la credulité,*
*De sa brillante voix, trompette de la gloire,*
*Du heros de la France annonçoit la victoire.* L. VIII. p. 181.

etiam illius vocem cum clangore tubae comparat, et pulchre facit, et laudem meretur integram. Reliqua vero debentur Latio fonti, vnde illa in Franciam deriuauit ingeniosissimus huius aetatis poeta. Exposui, quid de quoque horum poetarum iudicarem: quid sentirem, non potui explicare. Totum hoc ingenii Tui praestantiae relinquo. Tu vero his addes versus Duschii, qui in carmine eleganti, quo doctrinarum studia cecinit, Homerico illo colore venuste imaginem Epici carminis pinxit 27). His igitur mecum considerátis,

27) *Im præchtigen Gewande, das Zepter in der Rechten,*
*Singt denn die Epopoe von Helden und Gefechten,*
*Der Himmel, und die Erde, und das verdammte Reich*
*Sind ihrer Waffen Schauplatz. Starck, und sich immer gleich,*
*Durch-*

deratis, animoque ſuauiſſima voluptate expleto, amaritudine quadam illam dulcedinem temperare lubuit. Legi igitur iam ſaepius a me lectum eum Iliados librum, cuius cauſa maximopere ſemper Homerum amaui, quoque, librum VI. ſemper excipio, nihil puto melius a ſummo poeta dictum ſcriptumque eſſe. Non pudet profecto fateri, dum Hectoris necem, dum Priami querelas, dum Hecubae lacrimas video audioque, idem mihi accidere, quod Auguſtinus ſibi, narrationem Virgilii de Didonis morte legenti, acidiſſe, memoriae prodidit [28). Quaſi ipſe rei interſim, quaſi his auribus hisque

*Durchmiſst ihr kühner Flügel den Raum der gantzen Ferne,*
*Ihr Fuſs ſteht auf der Hoellen, ihr Haupt berührt die Sterne &c.*
Die Wiſſenſchaft. II. B.

28) in Confeſſion. L. I. c. 13. p. 54. T. I. oper. edit. Antuerp.

hisque oculis ea omnia accipiam, perturbor animo, moereo, nec lacrimas tenere possum. Intelligis, credo, me de libro XXII. loqui, in quo quanta arte Homerus ea collegerit explicueritque omnia, quae ad commouendum animum facerent, Tibi commemorabo. Noui ego Te: non Tibi robore aut aere pectus natura circumdedit: non animus est Tibi ferreus. nec Te forsitan pudebit, lacrimas Hectori, et simul praeclarissimum praemium poetae soluere. Quare fac, quae ibi dicantur, mecum recognoscas.

Achilles prope ad muros Troiae accedit: quo conspecto, senex Priamus valde terretur, Hectoremque orat, ne solus cum Achille congrediatur: vbi quam apta ad miserationem commouendam sunt haec: „Praeterea misereat te mei, „infelicis, vitamque calamitosam adhuc

„trahen-

trahentis, quem pater Iupiter in li-„ mine ſenectutis calamitate demum„ obruet, multis malis conſpectis: filios„ vidi interemtos, filias abreptas, thala-„ mos euerſos, in graui caede teneros„ infantes terrae alliſos, atque a perni-„ cioſis Graecorum manibus nurus tra-„ ctas. Me denique illud fatum ma-„ net, vt cominus vel eminus percuſ-„ ſum canes in primis foribus raptent, qui„ ſanguine meo hauſto triſtes in veſti-„ bulo iacebunt.„ Poteratne aliquid dici grauius ad deterrendum filium a pugna? poteratne miſerabilius fortunam ſuam deplorare ſenex? Sed et alia addit: canos capillos manibus euellit. quantum vero hoc triſtitiae indicium! quam triſte filio ſpectaculum! Accedit Hecuba, non ſolum plorans et lacrymans, ſed ſinum etiam nudans et mammam oſtendens. "Hanc reuerere, inquit, Hector, mi„

„fili, meique miserere: si tibi mam-
„mam olim praebui, vagitumque tuum
„sedaui, reminiscere, chare fili, illo-
„rum temporum". Habet vero et matris nuda mamma adstantis aspectus, et hae preces habent, quod etiam duriorem animum commoueat. Sed Hector inexorabilis stat, neque recedit. Ipse suum animum excitat, secumque loquitur, cuius orationis finis hic est: „Me-
„lius est, certamine congredi: quam
„citissime videamus, vtri rex olympi
„gloriam praebiturus sit". Interim accedit Achilles, similis Marti in bellis galeam quassanti: quem non Hector exspectat, sed fugit: instat Achilles: Dii haec spectant: Iupiter duas aureas lances tollit, quibus fata mortis imposita, sustinetque: inclinat Hectoris fatalis dies, descenditque ad orcum. Quae omnia feliciter excogitata sunt ab Homero;

mero; expressa, vt notum est, etiam a Virgilio [29]): illa comparatio Achillis cum Marte magnifica est: reliqua etiam, quibus rem illustriorem reddere studuit, bona. Persuasus vero a Minerua Hector resistit, et Achillem prouocat: vult illius cadauer, qui occidatur, parentibus reddi et sepeliri: quam conditionem Achilles reiicit: pugna oritur: sentit Hector, se a Minerua deceptum esse: "prope, inquit, adest mors: non effugium datur: fatum me assequitur, neque tamen ignauiter atque inglorie peribo, sed edam facinus magnum et posteris etiam memorabile."

 Hic

29) Aen. XII, 725.

*Iuppiter ipse duas aequato examine lances*
*Sustinet, et fata imponit diuersa duorum,*
*Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.*

Hic ſermo animum viri fortis tam decet, quam qui maxime. Hector ſimilis aquilae impetum facit, ſed vulneratus ab Achille cadit: hic gloriatur, et acerbe increpat Hectorem, qui eum orat „per animam, dicens, tuam, „per genua, per tuos parentes te oro, „ne me apud naues ſinas dilacerari a „canibus, ſed corpus meum reddas pa„renti, qui illud comburat". Iterum Achilles negat, cui Hector moribundus dicit: „ferreus tibi eſt animus: „vide, ne mea cauſa Dii iraſcantur eo „die, quo te, licet fortem, in Scaeis „portis Paris et Apollo interiment." quibus dictis, exſpirat. Iraſcimur vero Achilli: deteſtamur animum illius crudelem: miſeret nos Hectoris, quem illius manibus eripere, et ſepelire geſtimus. Quantum vero paullo poſt eundem Achillem exſecramur, cum ſae-

vum

vum hominem videmus alligatum currui cadauer circa muros vrbis rapere! Quem haec adſpicienti putamus matri animum eſſe? euellit capillos, et altum eiulatum edit. Lamentatur etiam miſere pater, quem vrbe exire cupientem aegre populus retinet. "Abſtinete, inquit, amici, et ſinite me ſolum ad naves Graecorum ire. Supplex ero homini iſti crudeli et pernicioſo, ſi forte meam ſenectutem reuereatur. nam ipſe talem patrem habet Peleum, qui ipſum genuit, et nutriuit, exitio Troiae futurum. maximos omnium dolores mihi intulit. tot enim florentes aetate filios mihi interemit. quos, licet omnes lugeam, tamen non tantum eorum cauſa, quantum Hectoris, doleo: qui dolor me etiam morti tradet. O vtinam inter meas manus obiiſſet! Tum enim fletu luctuque nos ſatiaſſe-

 „mus,

„mus, et mater infelix, quae eum „peperit, et ego ipſe". Audiuiſtine ipſius doloris vocem languidam et miſerabilem? percepiſtine vim voti, quod miſer pater facit, quodque proprium animi ita perculſi et affecti? Hecuba pariter lamentatur et plorat: vxor vero Hectoris, eiulatu audito, turrim adſcendit, et vbi raptatum mariti cadauer videt, deliquium animi patitur: poſtquam ad ſe rediit, „Hector! clamat, „me infelicem! eodem igitur fato nati „ſumus, tu Troiae in aedibus Priami, „ego Thebis in domo Eetionis, qui me „paruulam enutriuit, infelix infelicem. „Vtinam ne genuiſſet me! nunc vero „tu ſub latebras terrae, ad domos Plu„tonis abis, meque in aedibus viduam „grauiſſimo in luctu relinquis. Filius, „quem nos infelices genuimus, adhuc „infans eſt. non tu, Hector, qui oc-

„cubuiſti,

cubuisti, illi emolumento eris, neque „ hic tibi. Licet enim saluus euaserit „ bello Graecorum lacrymoso, numquam „ tamen molestiis et malis liber erit. alii „ agros illi adiment: dies pupillaris „ simul omnibus aequalibus puerum „ priuat. Iste igitur priorem fortunam „ recordatus, genas lacrimis madidas „ habens, egenusque ad patris sodales „ ibit, alium chlaena prensans, alium „ tunica. Horum aliquis misericordia „ motus, pocillum tantillum admoue- „ bit, vt non palatum, sed labra tan- „ tum riget: hunc etiam alius, cui sunt „ parentes, e conuiuio exturbabit, mani- „ bus verberabit, probrisque insectabi- „ tur: abi in malam rem, non tuus pa- „ ter nobiscum conuiuatur. Tum la- „ crymans redibit puer Astyanax ad ma- „ trem, viduam: ille quidem antea in „ genubus patris medullam et pinguem „

 ouium „

„ ouium adipem comedit, et, quando, „ ſomno adueniente, pueriliter ludere de- „ ſierat, expleto deliciis animo, in molli „ cubili, in lectis, nutricisque in vlnis „ dormiuit: nunc vero multa patietur „ dura patre priuatus Aſtyanax, quem „ ita appellarunt Troiani, quoniam ſo- „ lus tu, o Hector, portas altosque mu- „ ros defendiſti. Nunc te a parentibus „ procul apud naues vermes comedent, „ nudum, proiectum, ſatiatis carne tua „ canibus: in aedibus tibi paratae iacent „ veſtes venuſtae, et eleganter elaboratae. „ Sed ego haec omnia igne combu- „ ram: nihil tibi proſunt: tu non in iis „ iacebis". Legiſtine, Vir eruditiſſime, qui optima omnium temporum, popu- lorumque monimenta cognita habes, multa, quae cum his Homericis com- parare auderes? non puto profecto. Illa inprimis, quae mater de miſeria

pueri

pueri dicit, quam mollia ſunt! quam dulcia! Mouet nos illa puerilis aetatis innocentia: indigne ferimus, male eum tractari: magnam etiam ad mouendum animum habet vim priſtinae fortunae enarratio: vno verbo: nihil omiſit Homerus, quod flebile eſſet. Prope tamen accedunt ad huius loci pulchritudinem illa, quae Virgilius de Euryalo et Niſo narrat [30]. Plures ſunt verſus, quam quos deſcribere queam. Quidni etiam credam, Te, qui eiusmodi pabulo iucunde animum affici ſcias, ſtatim ipſum Virgilium euoluturum, ſaepiusque lectum carmen rurſus lecturum eſſe? Sed cupio tamen Te, prius quam ad lectionem accedas, Hier. Vidae, qui quam recte de his litteris iudicet, noſti, ſententiam de



30) Aeneid. IX, 176. ſequ.

hoc loco cognoſcere. Illius verſus ſunt [31]):

*Quid? puer Euryalus cum pulchros*
*voluitur artus,*
*Ah! dolor, inque humeros lapſa cer-*
*vice recumbens,*
*Langueſcit moriens, ceu flos ſucciſus*
*aratro:*
*Ardet adire animus lectori, et currere*
*in ipſum*
*Volſcentem, puerique manum ſuppo-*
*nere mento*
*Labenti, ac largum fruſtrà prohibere*
*cruorem,*
*Purpureo niueum ſignantem flumine*
*pectus.*

Sed nolo diutius te morari. Quin age, paullum has litteras manibus depone, atque ipſum Virgilium miſera fata horum

31) in Poetic. L. II.

rum iuuenum Tibi narrare iube. — Legiſti igitur elegantiſſimos Maronis verſus, quibus quomodo affectus ſis, quid quaeram? Dolemus vero ſortem Euryali, cuius virtutem cognouimus, quem amare incepimus: timemus, pauemus, denique confoſſum lugemus: triſtes matris queſtus audimus. Sed, ſi ex meo ſenſu iudicare licet, magis lectorem moueri puto Hectore Homerico: ſiue, quod maiorem vim habent mitiores querelae Andromaches et Priami, quam oratio matris Euryali, deſperatione, ira, et furore accenſae, ſiue, quia etiam infans Aſtyanax magis aptus eſt ad miſericordiam mouendam, ſiue, quoniam talia melius Graeco ſermone dicuntur, cuius a felici lenitate et mollitie longe abeſſe Latinum, quid nunc doceam? In recentiorum tamen Italorum carminibus memini me quaedam

legere,

legere, pleniſſima triſtiſſimi adfectus. Huc refero hiſtoriam Olindi et Sophroniae apud Taſſum 32), eaque, quae de Tancredo et Chlorinda 33) idem venuſte cecinit. Sed omnes hac parte poſt ſe longe reliquit Dante 34), vbi interitum Comitis Vgolini narrat. quem Michaël Angelus in marmorea tabula exhibuit 35). Non ſum ambitioſus in lacrimis: ſed illius carminis lectionem mihi largam lacrimarum vim elicuiſſe, non poſſum non profiteri. Conuerti etiam

32) *Gieruſal. liber. C. II.* ſtr. 14-37.

33) C. XII. ſtr. 65. ſequ.

34) *La divina Comedia c.* 33.

35) vid. *Richardſon Traité de la peinture* T. II. p. 131. vbi et Dantis verſuum laus, et Gallica verſio, et operis marmorei deſcriptio. confer *Verſuche über den Charackter und die Werke der beſten Italieniſchen Dichter.* P. I. p. 105. ſequ.

etiam illos verſus ex Italico, quos Tecum communicare placet. Si, quam vtilitatem res habitura ſit, quaeris, eandem, ſcito, quam labor Monetae *), qui librum primum Aeneidos, aut Petauii, qui Dauidis carmina, in Graecum ſermonem verterunt, aut tot Graeci verſus Heinſiorum, Matth. Sladi, Aeg. Menagii, illiusque, qui in centonibus Homericis conſarcinandis ſibi admodum placuiſſe, nec futilis poeta epicus ſibi viſus eſt, Barneſii 36). Horum igitur in numerum, ſi lubet, etiam hos verſus referre poteris. Nam ſi durius inſtas, defendam me veriſſima illa reginae

*) *de la Monnoye.*

36) Initium carminis vere ſacri eſt:

Μῆνιν ἄειδε Θεὰ Ἀμαληχιάδεω Ἀμανῆος
Οὐλομένην· ἣ μυρί᾽ Ἑβραίοις ἄλγε᾽ ἔθηκεν.
κ. λ.

ginae Chriſtinae voce 37): ineptias antiquas certe non minoris eſſe debere, quam nouas. Conuerti vero carmen, non vt interpres, ſed vt poeta, ita, vt magis ſententiam, quam verba, ſpectarem, nec tam verſus Tibi annumerarem, quam appenderem. Ad rem ipſam accedo.

*At vos, Calliope, precor, adſpirate canenti.*

Quisquis es, immenſos cogis renouare dolores,
Quos meminiſſe animus, quos horret dicere lingua.

O

— *Tu vuoi, ch'i' rinnovelli*
*Diſperato dolor, che'l cuor mi preme,*
*Già*

37) *Chriſtine n'a pas fait difficulté de dire, que les ſotiſes anciennes valoient bien les nouvelles.* v. *Memoir. concernant Chriſtine p. Arkenholz.* T. I. p. 345.

O vtinam mea verba infamiam inurere
ſeram
Huic, a quo cernis me poenas ſumere,
poſſent!
Hunc violaſſe fidem, audiſti, et me frau-
de maligna
Illius et culpa periiſſe in carcere, noſti.
Sed nondum genus auditum tibi mortis
acerbae.
Iam multos menſes numeranti in carcere
diro,
Quae

*Già pur penſando, pria ch'i' ne favelli.*
*Ma ſe le mie parole eſſer den ſeme,*
*Che frutti infamia al traditor, ch'i'*
*rodo,*
*Parlare e lagrimar mi vedra' inſieme.*
*(I'non ſò chi tu ſie, nè per che modo*
*Venuto ſè quaggiù: ma Fiorentino*
*Mi ſembri veramente, quand' i' t' odo.*
*Tu de' ſaper, ch'i' fu'l Conte Ugolino,*
*E*

Quae mala me maneant, quam funus flebile natos,
Pandit, quodque vetat casus spectare futuros,
Velum aufert, oblata in somno tristis imago.
Excitor, et miseros natos heu! voce querenti
Audio ego patrem me panis poscere frustum.
Haec nisi te moueant, gestas in pectore ferrum,

Quid-

*E questi l'Arcivescovo Ruggieri:*
*Or ti dirò, perch' i' son tal vicino.)*
*Che per l'effetto de' suo' ma' pensieri,*
*Fidandomi di lui io fossi preso,*
*E poscia morto, dir non è mestieri.*
*Però quel, che non puoi avere inteso,*
*Cioè, come la morte mia fu cruda,*
*Udirai, e saprai, se m'ha offeso.*

*Breve*

Quidque ciet lacrimas, oculis ſi talia ſiccis
Accipis? hora venit, qua nobis ante ſolebant
Cuſtodes praebere cibum: exſpectauimus omnes
Spemque metumque inter, dura in tellure ſedentes;
Saeua omnes ſpecies et turbida terret imago.
Terribilis ſubito clauduntur limina turris,

Limina

*Breve pertugio dentro dalla muda,*
*La qual per me ha'l titol della fame,*
*E'n che conviene ancor, ch'altrui ſi chiuda,*
*M'avea moſtrato per lo ſuo forame*
*Più lune già; quand' i' feci'l mal ſonno,*
*Che del futuro mi ſquarciò'l velame.*



*(Queſti*

Limina clauduntur, ſtrepitumque exterritus hauſi
Auribus, et longe ſtridentia robora ferri.
Non ſecus ac duri ſilices ſi pectora haberent,
Mittere nec lacrimas poteram, nec dicere verbum,
Haereo et obtutu natorum fixus in vno.
Flent miſeri: Anſelmus ſolus tremulo incipit ore:

Nos

*(Queſti pareva a me maeſtro e donno,*
*Cacciando'l lupo e i lupicini al monte,*
*Perchè i Piſan veder Lucca non ponno.*
*Con cagne magre, ſtudioſe, e conte*
*Gualandi con Sismondi, e con Lanfranchi*
*S'avea meſſi dinanzi dalla fronte.*
*In piccol'corſo mi pareano ſtanchi*
*Lo padre e i figli, e con l'agute ſcane*

*Mi*

Nos pater adſpectas: quid vis? Nec lumina fletum,
Nec verba ora dabant vlla: attonitusque ſedebam;
Perque diem totum tacui noctemque ſequentem.
Interea noua lux ſurgit, radiumque malignum
Per tenuem rimam tenebroſum mittit in antrum.

Pallida

*Mi parea lor veder fender li fianchi.)*
*Quando fui deſto innanzi la dimane,*
*Pianger ſentì fra'l ſonno i miei figliuoli,*
*Ch'eran con meco, e dimandar del pane.*
*Ben ſè crudel, ſe tu già non ti duoli,*
*Penſando ciò, ch'al mio cuor s'annunziava;*
*E ſe non piangi, di che pianger ſuoli?*



*Già*

Pallida confpexi natorum quattuor ora,
Et facie in quauis propria occurrebat imago.
Tunc lacero morfu digitos arrodere coepi.
Haec illi rabiem ventris me cogere credunt,
Et fubito erecti dicunt, blando ore tuentes:
Nos confume pater: tu nobis ifta dedifti
Corpora: reddemus: nos corripe: quam dolor ille

Eft

*Già eram defti, e l'ora s'appreffava,*
*Che'l cibo ne foleva effere addotto,*
*E per fuo fogno ciafcun dubitava,*
*Ed io fenti chiavar l'ufcio di fotto*
*All' orribile torre: ond' io guardai*
*Nel vifo a'miei figliuoi fenza far motto:*
*I' non piangeva, sì dentro impietrai:*

*Piange-*

Est minor, ac tantos cruciatus cernere patris!
Vici animum, et summum pressi sub corde dolorem.
Hanc etiam taciti lucem consumsimus omnes,
Pectoreque inclusos non audit postera questus.
Cur non, terra, graues tandem miserata labores,
Nos miseros subito voluisti absumere hiatu?

Quarta

*Piangevan' elli; ed Anselmuccio mio*
*Disse: tu guardi sì, padre, che hai?*
*Però non lagrimai, nè rispos' io*
*Tutto quel giorno, nè la notte appresso,*
*Infin che l'altro sol nel mondo uscio.*
*Com' un poco di raggio si fu messo*
*Nel doloroso carcere, ed io scorsi*
*Per quattro visi il mio aspetto stesso;*

Quarta luce fame Gaddus fractusque dolore
Concidit, inque meo defigit lumina vultu:
Cur non chare iuuas genitor? nec plura locutus,
Exſpirat. quid ego? attonitus macieque pereſus,

Tres

*Ambo le mani per dolor mi morſi:*
*E quei penſando, ch'i'l feſſi per voglia*
*Di manicar, di ſubito levorſi,*
*E diſſer: Padre, aſſai ci ſia men doglia,*
*Se tu mangi di noi; tu ne veſtiſti*
*Queſte miſere carni, e tu le ſpoglia.*
*Quetámi allor, per non fargli più triſti:*
*Quel dì, e l'altro ſtemmo tutti muti:*

*Ahi*

Tres reliquos quinta ſextaque perire videbam.
Viribus exhauſtis, oculorum et lumine ademto,
Adrepo in tenebris, trepidaque prehendere dextra,
Frigore quae lethali horrebant corpora, tento.

Nomina

*Ahi dura terra, perchè non t'apriſti?*
*Poſciachè fummo al quarto dì venuti,*
*Gaddo mi ſi gittò diſteſo a'piedi,*
*Dicendo, padre mio, che non m'ajuti?*
*Quivi morì: e come tu mi vedi,*
*Vid'io caſcar li tre ad uno ad uno,*
*Fra'l quinto dì, e'l ſeſto: ond' i'mi diedi*

Nomina natorum tres ſoles chara vocabam,
Ah! dulces natos, anima fugiente, vocabam.
Tandem dira fames luctum ſuperauit acerbum.

Narraui

*Già cieco a brancolar ſovra ciaſcuno,* 38)
*E tre dì gli chiamai, poich' e' fur morti:*
*Poſcia più che'l dolor potè'l digiuno.*

38) Simillimum locum memini eſſe in Phoeniſſ. Euripid. v. 1691. quem tantum e Latina Barneſii verſione adſcribam:

Oedip. *Vbi vero eſt cadauer Eteoclis et Polynicis?*

Antig. *Illi duo porrectim tibi iacent iuxta ſe inuicem.*

Oed. *Appone caecam manum ſuper vultus infelices.*

Ant. *Ecce! tange manu tuos mortuos liberos.*

Oed. *O chara cadauera et miſera miſeri patris!*

Narraui Tibi mediocribus verſibus Latinis (nam malos vt eos appellem, me non impetrare a me poſſe, facile credes, ſi vel recordatus fueris veram illam non optimi poetae 39), ſed hac certe parte poetae, profeſſionem, neminem poetarum ſuos verſus malos exiſtimare) talibus igitur verſibus narraui Tibi, quae Italus optimis cecinit. Putasne vero, aut Graeciam aut Latium aliquid protuliſſe, quod cum his verſibus comparari poſſet? — Sed erro. Tradidit nobis antiqui temporis ars monimentum, manibusque Ageſandri, Polydori et Athenodori perpetuae omnium admirationi commendauit. Quis enim non celebrari audiuit, quis non, vt ipſe



39) Cicero ad Attic. XIV. 13. *nemo vnquam neque poeta, neque orator fuit, qui quenquam meliorem, quam ſe, arbitraretur.*

oculis vſurpet, optat, illam Laocoontis ſtatuam, quae ſummum dolorem, non clamanti ore, non motu corporis vehementiore, ſed toto corpore, omnibusque venis, ſummamque animi conſtantiam praefert? Admirantur omnes vultum illum, in quo quaſi litteris deſcripta et conſignata eſt incredibilis animi triſtitia: admirantur illam frontem, quae virum magno pectoris robore dolori reſiſtentem, pugnantemque ſecum, cohibentemque erumpere geſtientem doloris vocem, teſtatur: admirantur illos oculos, qui, quaſi diſertiſſimi oratores, paternam mentem loquuntur, non tam ſua cauſſa lugentem, quam liberorum, qui vultus ad patrem tollunt, et opem implorant. Horum ſi operum praeſtantiam mecum conſidero, ſi magnitudinem non ſolum ingenii et artis, ſed gloriae etiam, et laudis, quam omnium

tempo-

temporum conſentiens praedicatio illorum auctoribus tribuit, cogito, ſi, quos motus illa opera in animis lectorum ſpectatorumque excitare poſſint, reputo: hem! quam ſordent omnes Grammaticorum de verbis et ſyllabis concertationes! Immo me ipſum mei pudet, piget et poenitet, cui praeter voluntatem ardoremque ad magnorum hominum laudem adſpirandi, nihil dediſſe naturam inuidam video. Quare deſino. Aufert animum haec cogitatio, et a deſtinato itinere digredi cogit.

---

## *EPISTOLA VI.*

Cur tantis laudibus librum Iliados ſextum extulerim, quo nullum alium ex omnibus Homeri (ſcio, quantum hoc ſit, quod dicturus ſum. ſed

dicam tamen, quoniam haec ſententia penitus anima meo inſedit) nullum igitur perfectiorem pulchrioremque eſſe iudico, facile praeuidere potui, Tibi non iniucundum fore, cauſam cognoſcere. Habet vero ille liber elegantiſſime expreſſum animum Hectoris, fortem, bellicoſum, patriae amantiſſimum: exhibetur nobis Andromache materno amore et Aſtyanactem ſuum complectens, et plena timoris ſollicitudinisque, ne abeunti in praelium marito aliquid accidat: ipſe denique filiolus ſimplicitate, illius aetatulae propria, ita placet, vt nihil ſupra. Afficimur enim facillime et grauiſſime omnibus, quae paruulis accidiſſe, aut legimus, aut in tabulis ſpectamus, ſiue, quod imbecillitate eorum, omni fere ope deſtituta, vehementer mouemur, ſiue, quod, quae noſtra quoque olim conditio fuerit, in memo-

memoriam nobis reuocatur. Quare non recte facere illos poetarum nostrorum existimo, qui paruulos omnino theatro exulare iubeant, quique ex mea sententia sibi ipsi pulcherrimum instrumentum ad animos spectatorum mouendos adimant. Certe de me vere profiteri possum, cum nuper in hac vrbe illa Lessingii fabula, quae Sarae fugam mortemque continet [1]), ageretur, me valde quidem perturbato animo omnia spectasse: sed cum Arabella prodiisset, cum puellam simplicissimam amorem suum erga patrem Mellefontium iis verbis, oculis, gestibusque declarare viderem, quae eam aetatem omnia apprime decerent, statim ex oculis lacrimae. — (Nam, quid de terrae quodam filio dicam, vix inuenio, quem prope me sedentem, semper cachinnos tollere, quod fere incredibile,

1) *Miss Sara Sampson.*

credibile, etiam tum, cum Sara auxilium patris omniumque flebili voce imploraret, perque mea ossa gelidus tremor curreret, et denique abeuntem mihi dicere memini: non placuisse fabulam; nimis tristes affectus habuisse. Sed illum irato suo Genio relinquam, quem vel Le-Brunii picturam infantum, Herodis iussu occisorum, hilari vultu et ridentem adspicere posse puto. eo redeo, vnde me verissima indignatio digredi coegit.) Bene mihi fecisse videntur antiqui, quos infantes videmus ita in theatrum produxisse, vt, licet tacerent, tamen sola praesentia mouerent. Spectatores, qui liberos Herculis [2]) videbant prope aram sedere, audiebantque senem Iolaum, aduentante Copreo, dicere: "O filii, filii, accedite, apprehendite

„vestes

2) in Euripidis Heraclidis.

veſtes meas, 3)" clamorem paullo poſt hos tollere, vbi vi eos abripere Copreus conabatur, Macariam iunioribus fratribus valedicere, quid? illos ſpectatores non grauiter commotos eſſe putamus?

Quicunque legerit Euripidis Iphigeniam in Aulide, ille ſciet, quantam vim habeat Oreſtis paruuli, licet muta, perſona, quem Iphigenia adhortatur, vt pro ſe patrem oret 4). "O frater, exi-„ guus tu quidem amicis auxiliator, ſed „ tamen cum lacrimis et ſupplex pa-„ trem „

3) v. 48. Ὦ τέκνα, τέκνα, δεῦρο, λαμβάνεσθ᾽ ἐμῶν πέπλων.

4) v. 1240.

Ἀδελφὲ, μικρὸς μὲν σύγ᾽ ἐπίκουρος φίλοις,
Ὅμως δὲ σὺν δάκρυσιν ἱκέτης γίνου πατρὸς,
Τὴν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν· αἴσθημά τι
Κἀν νηπίοις γε τῶν κακῶν ἐγγίνεται.
Ἰδοὺ σιωπῶν λίσσεταί σ᾽ ὅδ᾽, ὦ πάτερ.
Ἀλλ᾽ αἴδεσαί με, καὶ κατοίκτειρον βίον.
Ναὶ πρὸς γενείου σ᾽ αὐτόμεθα δύω φίλω,
Ὁ μὲν νεοσσός ἐστιν, ἡ δ᾽ ηὐξημένη.

„ trem ora, ne tuam ſororem occidat. „ Malorum ſenſus quidam etiam in- „ fantibus ineſt. Vide, pater, hic te „ tacitus orat. Miſereat te mei, vitae- „ que meae. Nos duo te oramus: ille „ quidem infans adhuc eſt, haec vero „ grandior". Quam pulchrum eſt hoc loco: puerum tacite orare patrem! Apud Sophoclem 5) autem putasne Euryſia- cis paruuli, quem Aiax, ſe interfecturus, adduci iubet, quemque adhortatur ad ſui imitationem, conſpectum parum in animis ſpectatorum effeciſſe? Quem eo- rundem non putas affectum fuiſſe, vbi 6) Aſtyanactem paruulum a matre in patris tumulo abſcondi viderent:

*Succede tumulo, nate! Quid retro fugis?*
*— — age, aude ſubire.*

eumque

5) Aiac. p. 32. ed. Steph.
6) in Senecae Troad. v. 501.

eumque deinde protrahi ab Vlyſſe, matre dicente:

*Huc e latebris procede tuis,*
*Flebile matris furtum miſerae.*
*Hic puer, hic eſt terror, Vlyſſe,*
*Mille carinis. Submitte manus,*
*Dominique pedes ſupplice dextra*
*Stratus adora: nec turpe puta,*
*Quicquid miſeros fortuna iubet.*
*Pone ex animo reges atauos,*
*Magnique ſenis iura per omnes*
*Inclita terras: excidat Hector.*
*Gere captiuum; poſitoque genu,*
*Si tua nondum funera ſentis,*
*Matris fletus imitare tuae.*

Fruſtra orat mater Ulyſſem: ſatiata lacrimis et dolore tandem inquit:

*I, vade liber, liberos Troas vide.*
Aſtyan. *Miſerere mater.* Andr. *Quid meos retines ſinus,*
*Manusque matris?* etc.

Pauca loquitur tantum haec infans. Sed tota ſcena eſt admodum flebilis. Plura, ſi lubet, recentiorum poetarum exempla dabit tibi Racinius 7). Nos nunc, quam bene haec res Homero ſucceſſerit, videamus. Hectori vrbe exituro obuia fit vxor, Andromache, "filium „in ſinu geſtans tenellum, infantem ad„huc, vnicum filium, ſimilem pulchrae „ſtellae", qua comparatione, licet breui, pulcherrima tamen ineſt imago, quae decet filium Hectoris et filium paruulum. Hector vero, conſpecto filio ſuo, ſubridet: matre lacrimante, manum mariti tenente, et hortante, ne tanta pericula belli adeat. qua ex oratione illud vnum repetam: „te mortuo, „nullum mihi reſtabit ſolatium: meri „erunt dolores: neque enim patrem, „neque

7) *Reflexions ſur la poeſie.* p. 145. *dans ſes œuvres T. V.* (Amſterd. 1750.)

neque matrem habeo, at tu Hector „ mihi et pater, et mater, et frater, et „ maritus. Quare misereat te no- „ stri, ne filium pupillum, vxorem vi- „ duam facias ", quam pleni sunt hi ver- „ sus summi amoris! quam bene pingitur animus vxoris, praeter mariti vitam, nihil aut habentis, aut optantis, quod iucundum sibi sit, quoque se tueatur. Sed Hector turpe sibi esse, ait, a praelio abstinere: nosse se, hanc vrbem esse interituram; neque se tamen vlla re tantum moueri, quam fato Andromaches: " nam illam lacrymabundam seruam- „ que aliquem Graecorum abducturum „ esse: illam coactum iri in Graecia „ aquam ferre et telam texere: tunc eam „ flentem aliquem conspicatum, dictu- „ rum esse: haec est vxor Hectoris, qui „ inter omnes Troianos in praeliis prae- „ stantissimus erat. Sic, pergit, di- „

 cet „

„ cet aliquis, tibique desiderium mariti, „ dolorque renouabitur. Vtinam vero „ me mortuum prius terra tegat, quam „ te abreptam clamare audiam!" [Poteratne vero aliquis, quae Andromachen maneant, tristia fata melius narrare? et quid erat cum ad Hectoris, qui haec praeuidebat, tum ad Andromaches, quae audiebat haec, animum mouendum aptius? Quanta vero laude dignus poeta, quod Hectorem optare iubet, vt prius, quam talia oculis videre cogatur, moriatur! Illa vero pictura renouati doloris in animo mulieris ad laudem mariti quantam vim habeat, illi sentient,

*Queis meliore luto Phoebus praecordia finxit.*

Hector petit porrectis manibus filium: sed hic ad patris adspectum exhorrescens,

ſcens, aeris ſplendorem, et criſtam, a galea terribiliter nutantem, timens, cum clamore ſe ad ſinum nutricis reclinauit: quam ob rem parentes leniter rident. Vides, Vir Doctiſſime, quanta pingendi omnia facultate polluerit Homerus. Non ille ſolum praelia, vulnera, et arma, ſed minora argumenta etiam ſumma arte expreſſit. Timor infantis, fletusque, auerſio vultus, et reclinatio corporis a patris terribilis complexu, riſus parentum et gaudium, quam accedunt ad ipſam rerum veritatem! Non legere haec, ſed ipſis oculis omnia intueri nobis videmur. Nos etiam, cum ſimplicitatem hanc et innocentiam imbecillis aetatis videmus, vehementius mouemur patris diſceſſu a matre; in ſocietatem doloris venimus, et ſortem pueruli lugemus. Hae ſunt illae imagines, illae Veneres, quas nulla arte prae-

cipi, atque a ſolis magnis ingeniis feliciter effici poſſe, Popius dicit. 8) ] Statim galea a capite detracta, et in terra depoſita, Hector filium ſuum oſculatur, leuiterque manibus agitat, his precibus additis: „O Iupiter et vos reliqui Dii, facite, vt hic meus filius inter Troianos, quemadmodum ego, „viribus, imperioque eximius fiat: vt „olim aliquis de eo e bello redeunte „dicat: hic eſt patre ſuo multo fortior; „referatque, interfecto hoſte, cruenta „ſpolia, et gaudeat mater". [Qua in oratione ego tria miror: primum ſublimitatem voti, quod Hector facit, dignam viro forti: deinde paternum adfectum,

8) *Muſick reſembles Poetry, in each*
*Are na me leſs graces, which no methods teach*
*And which a Maſter-Hand alone can reach.*

Eſſ. of Criticiſm.

fectum, qui summa fortitudine filium conspicuum, summa laude ornatum esse vult 9): denique vim, quae in vltimis verbis inest. Gaudium, quod mater e reditu filii victoris, ornatique spoliis, hostibus detractis, et sanguine cruentis, percipit, maius aliquid est, quam, vt me illius naturam magnitudinemque exprimere posse, sperare debeam. Quare hoc totum in medio relinquam.] Illis precibus factis, reddit filium matri, quae prae gaudio lacrimat. [Graeco sermone hoc multo melius, feliciusque dicitur, quam Latino. *Δακρυόεν γελάσασα.* Sententia vero ipsa pulcherrima est. Illae preces patris, illud votum pro fortitudine

 et

9) Vt multa huius libri, ita etiam hunc locum imitatus est Sophocles in Aiac. p. 33.

*Ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,*
*Τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος· καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός.*

et gloria filii, vna cum cogitatione discessus mariti, pectus maternum commouent, oculisque lacrimas eliciunt. Sic, cum Alexandrum equo illo indomito vehi videret pater Philippus, prae gaudio lacrimasse dicitur, et filium, postquam descenderat, osculatus dixisse: quaere tibi par regnum: neque enim te Macedonia capit [10]): Pulchre etiam dicitur apud Pindarum, posteaquam Aeson filium Iasonem cognosset, a senilibus palpebris lacrimas ebuliisse, prae voluptate, quam e conspectu filii formosi perceperit [11]). Xenophon narrat, Spartanos,

10) in Vit. Alexandr. p. 667. (ed. Franc. 1620. T. I.) ὁ δὲ πατὴρ καὶ δακρύσας τι λέγεται πρὸς τὴν χαρὰν.

11) Pyth. IV. p. 152. (ed. Schmid.)
— Τὸν μὲν ἐσελ-
θόντ᾽ ἔγνω ὀφθαλμὸς πατρός.
Ἐκ δ᾽ ἄρ᾽ αὐτοῦ πομφόλυξαν

Δάκρυα

tanos, nuntio de victoria reportata allato, vniuerſos collacrumaſſe: adeo, addens, lacrimae cum laetitiae tum doloris ſunt communes [12]). Pari modo, poſteaquam Oreſtes fratrem ſe Iphigeniae eſſe probauerat, et Iphigenia laetatur, et Oreſtes dicit: "lacrymae, lacrymae et luctus cum gaudio tuos aeque oculos, ac meos, humectant [13]),,. Apud eundem poetam in



Δάκρυα γηραλέων βλεφάρων·
Ἃν περὶ ψυχὰν ἐπεὶ
Γάθησεν ἐξαίρετον,
Γόνον ἰδὼν κάλλιστον ἀνδρῶν.

12) Hiſtor. Graec. L. VII. p. 620. (ed. Lutet. Pariſ. 1625.) ὅυτω κοινόν τι ἄρα χαρᾷ καὶ λύπῃ δάκρυά ἐστιν.

13) Euripid. Iphig. in Taur. v. 831.
Κατὰ δὲ δάκρυα, δάκρυα, κατὰ δὲ γόνος ἅμα χαρᾷ
Τὸ σὸν νοτίζει βλέφαρον, ὡσάυτως δ' ἐμόν.

notat

in alia fabula Chorus dicit: „Gaudia la-„crymarum dederunt mihi riuulos [14])". Multa praetereo alia exempla [15]), quae in Latinorum auctorum libris legi, inprimis, cum, si plura desideres, facile apud eos, quorum nomina infra scripsi,

notat ad h. l. Barnesius: *de lacrymis prae gaudio obortis, et quod frigidae videntur, cum lacrymae ex dolore manantes sint calidae, et quare, videsis in notis nostris ad Esthcrae v.* 1160. (est carmen hoc Graecum epicum Barnesii.) Quid? visne eam subtilem disputationem cognoscere?

14) Hercul. Fur. v. 742.

*Χαρμοναὶ δακρύων*
*Ἔδοσαν ἐκβολάς.*

15) vt apud Quintum Calabr. L. VII. 631. IX, 111. et XIII, 535. quos versus legere operae pretium est. add. Liuium XXV, 24, 11.

ſcripſi [16]), inuenire poſſis: in quibus etiam multa, ſubtiliter mehercle! de origine harum lacrimarum diſputata ſunt, quae nos non curamus.] Miſericordia plenus Hector manu demulcet vxorem, et conſolatur, atque galeam iterum tollit. Vxor vero domum abit, largiter lacrimas effundens, ſaepiusque reſpiciens [17]). [Quod reſpicientem ſaepe, vultumque ad Hectorem retorquentem pingit Andromachen Homerus, optime fecit. Quem enim animum haberet, quam inuita et triſtis abſcederet, melius

16) vid. Cael. Rhodigin. Antiqu. Lect. XII, 4. Caſaubonus ad Sueton. Aug. c. 59. p. 357. ed. Burm. P. Moll ad Longi Paſtor. p. 107. Bourdelot et Barthium ad Petron. c. 89. p. 560. et Gonſalium ibid. p. 211. Cerdam ad Virg. Aen. I, 457.

17) v. 496. ἐντροπαλιζομένη. vbi Schol. κατ᾽ ὀλίγον καὶ συνεχῶς ἐπιστρεφομένη.

melius hoc vno geſtu expreſſit, quam quauis alia longa oratione. Nihil enim magis proprium eſt non lubenter aliquo loco abeuntis, quam vt frequenter reſpiciat, et certe oculos expleat voluptate dilecta loca aſpiciendi. Annibalem, quo vix quisquam alius, patriam exilii cauſa relinquens, magis moeſtus abiit, *reſpexiſſe ſaepe Italiae littora*, Liuius memoriae prodidit [18]. Cicero vero, licet oratorum more dicat, probabiliter tamen eundem animum Catilinae, vrbe egreſſo, tribuit. *Iacet*, inquit, *ille nunc proſtratus*, *et ſe perculſum atque abiectum eſſe ſentit*, et retorquet profecto oculos ſaepe ad hanc vrbem, *quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget* [19]. Ouidius non ſolum Leandrum [20] dicere iubet:

*Digredi-*

18) L. XXX, c. 20. 7.

19) In Catilin. II, c. 1. 2.

20) Epiſt. Her. XVIII. 117.

*Digredimur flentes, repetoque ego Virginis aequor,*
*Respiciens dominam, dum licet, vsque meam.*

Sed etiam elegantissime de se ipso, Romam relicturo, scribit [21]):

*Ter limen tetigi; ter sum reuocatus: et ipse*
*Indulgens animo pes mihi tardus erat.*
*Saepe, Vale dicto, rursus sum multa locutus,*
*Et quasi discedens oscula summa dedi.*
*Saepe eadem mandata dedi, meque ipse fefelli,*
*Respiciens oculis pignora chara meis.*

Ceres, vbi e Sicilia, cui Proserpinam crediderat, recessit,

*Totaque*

21) Trist. I, 3, 55.

*Totaque decrescit refugo Trinacria visu:*
*— quoties oculos ad tecta retorsit* [22]).

Pulchre etiam vereque Lucanus [23]) de Pompeio ab Italia proficiscente:

*Propulit vt classem velis cedentibus Auster*
*Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,*
*Omnis in Ionios spectabat nauita fluctus:*
*Solus ab Hesperia non flexit lumina terra*
*Magnus, dum patrios portus, dum littora nunquam*

*Ad*

22) Claudian. Rapt. Prof. I, 189.

23) Pharsal. III, 3.

*Ad visus reditura suos, tectumque cacumen*
*Nubibus, et dubios cernit vanescere montes:*

quo in loco quam venusti sint duo vltimi versus, non opus est, vt Tibi, omnium elegantiarum arbitro, dicam. Illud vero dicere lubet: neminem forte Homero melius scire, vbi loqui debeat, vbi silere. Nam quemadmodum vere a magistro dicendi obseruatum est, quaedam non dicta, maiora videri [24]), ita videmus, Homerum aliquoties hanc tacitam eloquentiam optime adhibuisse. Nihil dicam de silentio Aiacis [25]) omnium

24) Demetrius Phaler. s. 103. p. 76. (ed. Glasg.) ἔνια μὴ ῥηθέντα μείζονα φαίνεται καὶ ὑπονοηθέντα μᾶλλον. confer Longinum περ. ὑψ. s. IX. et adde Scholiast. Aeschyli ad Prom. Vinct. v. 435.

25) Odyss. L. XI. 551.

omnium ſermone celebrato. Pluribus in locis eandem artem animaduertimus. Tale eſt ſilentium Sacerdotis Chryſae [26]): tale plenum reuerentiae ſilentium praeconum [27]), qui Briſeidem ab Achille abducebant. Bene etiam Vlyſſes feſtinans Agamemnoni, cui obuius fit, non narrat, quid negotii geratur, ſed ſceptrum ab eo accipit [28]), ſicut neque Mineruae aliquid reſpondet paullo antea, ſed quam celerrime illius imperia efficere ſtudet. Bene denique Hector, cupiditate ardens Graecos repellendi, nihil reſpondet orationi Sarpedonis, ſed celeriter progreditur [29]). Idem dicere de eodem Hectore debemus, nihil reſpondente hortanti ad bellum

26) Il. A. 34. vbi vid. Clark.

27) Il. A. 332. vbi vid. Dacieriam.

28) Il. B. 185. 182.

29) Il. E. 689.

bellum Deae, ſed ſtatim copias contra aduenientem exercitum ducente [30]). Apparet ex his, non ſolum loqui, ſed tacere etiam, nos ex Homeri veterumque poetarum monimentis diſcere debere. Noſti, optimos artifices, vt ſumma eſt eorum cum poetis ſimilitudo, idem feciſſe, quod modo laudauimus ab Homero factum fuiſſe. A compluribus ſcriptoribus narratur [31]), Timanthem, cum in Iphigeniae immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorem Vlyſſem, ſummumque, quem ars efficere poſſet, moerorem addidiſſet Menelao, conſumtis affectibus, non reperientem, quo modo digne patris vultum exprimeret,

30) Il. B. 807.

31) Cicer. in Orat. c. 22. Plin. Hiſt. N. L. XXXV. c. 17. Valer. Max. VIII, 11. Quintil. Inſt. Or. II, 13, 13.

primeret, eius caput velaſſe, et ſuo cuique animo aeſtimandum dediſſe. Inventionis huius laudem Timanthi debet Polydorus, qui in pictura corporis Chriſti cruce detracti, quicunque adſunt, moeſtos pinxit, Mariam autem faciem linteo, quod vtraque manu tenet, occultantem exhibuit 32): debet etiam Puſſinus *), qui in tabula mortem Germanici exhibente, inter alios triſtitiam vultu teſtantes, Agrippinam faciem tegentem pinxit, eoque, quam triſtis illa eſſet, magis coniectura aſſequi voluit ſpectatorem, quam oculis videre. Andreas Schottus 33) ſatis audacter Timanthi omnem illam laudem eripere

32) *Richardſon Traité ſur la peinture T. I. p. 75.*

*) *Pouſſin.*

33) in Obſeruat. Humanar. L. V. c. 17. p. 226.

eripere conatur, et, *in alia*, inquit, *prorſus omnia concedo, nec credidero, Timanthem magnitudine ingenii Agamemnonem ore velato pinxiſſe, commotum ratione perſpicacioris ingenii ac iudicii: ſed citra contentionem crediderim, id ex Euripide in Iphigenia Aulidenſi deſumſiſſe Timanthem. Verba Euripidis Agamemnonem deſcribentis ſunt:*

Δάκρυα προῆγεν, ὀμμάτων πέπλον
προθείς [34]).

*Praeſertim cum dicat Lucianus, in Cronoſolone, pictores ſumere a poetis ſolere hypotheſes: nec non Horatius in arte poetica: vt pictura poeſis erit.* Adſcripſi totum locum, vt pateret, poſſe aliquem multa veterum ſcriptorum

 lectione

34) v. 1550. Emiſit lacrymas, oculis veſtem opponens.

lectione imbutum esse, et pessime tamen de his rebus iudicare. Habet de de hac opinione sibi assentientem Barnesium [35]). Sed primum hi non recordati sunt, Plinium de Timanthe dicere [36]): *in* omnibus *eius operibus intelligi* semper, *quam pingatur: et cum ars summa sit, ingenium tamen vltra artem esse.* Deinde nonne hoc etiam erat *ingenii perspicacis*, si vel dederim Schotto, quod vult, apte imitari in tabula picta, quod ille in carmine posuerat? Schottus vero nulla alia de caussa Timanthem Agamemnonem hoc habitu pinxisse putat, quam, quoniam ab Euripide idem factum esse deprehenderit. quod an in bonum pictorem cadat, alii iudicent. Multi Euripidis fabulam procul dubio artifices viderunt

et

35) ed. Eurip. p. 68. T. II.

36) H. N. L. 35, p. 694. ed. Hard. sec.

et legerunt: ſolus Timanthes in ea animaduertit verſum, quo picturae elegantiam conciliaret. Equidem memini, Iphigeniae ſacrificium exhiberi etiam in gemma Theſauri Ebermayeriani 37), in qua videor mihi deprehendere patrem, prope aram ſtantem, vultum auertentem, et manu, ſi recte in aerea tabula radio expreſſa eſt gemma, oculum tergentem, niſi quis malit ſenem ante aram, et manum ad frontem tenentem patrem exiſtimare. Sed de his rectius iudicabunt, quibus ipſam gemmam oculis vſurpare licet. ego de hac, aliisque Ebermayerianis timidiuſcule pronunciare, et in eorum partes tranſire malo, qui non temere omnes earum antiquis accenſendas eſſe exiſtimant 38).



37) Tab. XVI. p. 32.

38) conf. *Deſcription des pierres gravées du feu Baron Stoſch. præf.* p. 8.

Maiorem probabilitatis ſpeciem puto habere meam opinionem, Virgilium imaginem illam Furoris 39):

— *Furor impius intus*
*Saeua ſedens ſuper arma, et centum vinctus ahenis*
*Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento.*

ab Apelle ſumſiſſe. Hic enim belli imaginem, *reſtrictis ad terga manibus*, Alexandro triumphante, pinxerat; atque hanc aliamque tabulam Auguſtum in fori ſui partibus celeberrimis dicaſſe, Plinius memoriae prodidit 40). Pariter grauia oſſa, nodisque lacerti difficiles, quos tribuit 41) Statius Tydeo, poſſunt alicui petita videri, expreſſaque ex

39) Aen. I. 298.

40) Hiſt. N. L. 35, p. 697.

41) Theb. VI, 840.

ex gemma ab Etrusco artifice sculpta, exhibitaque a cl. Winckelmanno, cui hanc obseruationem debes 42). Romanos vero poetas in Deorum aliarumque rerum descriptione saepe Graecorum artificum exempla secutos esse, multisque locis respexisse ad statuariorum opera, eo tempore clarissima, vix negabit, qui, quae acute super hac re disputauit Addissonus, legerit 43). Adeo verum est etiam hanc ob causam illud, quod fere in prouerbium abiit:

*Vt pictura poesis erit.*

Alteram enim constat poscere alterius opem et amice coniurare. Quare etiam Rubensium pulcherrimas e poetis praeliorum, ludorum, aliarumque rerum descriptiones



42) *Geschichte der Kunst.* p. 114. et 100.

43) in obseruat. super Italiae partibus quibusdam. p. 242. sequ. ex vers. Theotisca.

ſcriptiones collegiſſe aiunt, perlegiſſe, antequam ad opus accederet, et cum praeclariſſimorum hominum tabulis comparaſſe. Sed nimis multa dicenda eſſent, ſi huc oratio deſcenderet. et fui iam longior. Illud vnum, quod huc pertinet, addo. Cum Paris et Menelaus in certamen deſcendunt, etiam tum aptiſſime fingit Homerus, Priamum non periculum filii adſpicere voluiſſe, ſed abiiſſe 44). qua re paternum animum melius pinxit, quam ſi longiſſimam orationem Priamum habere iuſſiſſet. Poſteaquam Andromache domum rediit, ancillas inuenit, omniumque in animis grauem dolorem excitauit. Hae Hectorem viuum adhuc in aedibus ipſius flebant 45). non enim ſal-

vum

44) Il. Γ. 302.

45) v. 500. Αἱ μὲν ἔτι ζωὸν γόον Ἕκτορα ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

vum illum e praelio rediturum esse putabant. Quam admirabilis est in his affectus! quam pulchra latet sententia! cuius elegantiam bene intellexit Clarkius, qui ad hunc locum notauit: "Hac quidem sententia nihil vnquam „ fuit ad commouendos affectus neque „ excogitatum exquisitius, neque elegan- „ tius dictum; id quod ante Clarkium „ etiam Rapinus recte obseruauit 46) „. Plorare solemus mortuos: hic vero Hectorem viuum omnes lacrymis prosequi, quale quantumque hoc est! Verasne nunc putas, quas huic libro tribui, laudes? in quo, vt in reliquis alios longe post se reliquit, se ipsum Homerus superasse videtur. Eo solo, si nihil praeterea scripsisset, magni poetae nomen tueretur, omniumque, qui



46) *Comparaison d'Homere & de Virgile* p. 248.

recte de his litteris iudicare sciant, laudem amoremque auferret. Quod si vero alius interpres accedat, qui et elegantiore ingenio praeditus et copiosiore doctrina instructus sit, cuique plus temporis in his consumere liceat, lubeatque: quanto plura putas ipsum animadversurum esse, quae ego praeterii? quanto elegantius eum omnia expositurum et animo quasi tuo admoturum esse censes? Ego vero quid habeo aut ab ingenio aut ab industria, quo me extollam? Voluntas atque ardor nunquam defuit, sed defuere alia: nunquam tantum mihi contigit, quantum satis esset ad haec studia feliciter tractanda, temporis: sexcentis aliis rebus, inprimis molestissimis, ad quas inuitum me et reluctantem, nihilque magis, quam tranquillitatem, cupientem, incredibilis quorundam proteruia et impudentia abripuit, rixis

et

et contentionibus impeditus fui, quo minus ex voto de iis litteris bene mererer, quarum ſtudium, ſeu mea voluntas et a natura quoddam inſitum ſtudium, ſeu, quae in rebus humanis dominatur, occulta vis fati ad illud me appulit, complexum me eſſe noſti. Certe, vt alia pleraque, haec, quae ſuper Homero ſcribere lubuit, non multo ſtudio elaborata, ſed, vt quidque in mentem et ſub acumen calami veniret, dictum fuiſſe ipſe fateor. Neque tamen eruditionis gloriam ita depereo, vt, ea non impetrata, fleam, meque infelicem iudicem. Placidam qualiscunqe doctrinae conſcientiam tumultuoſae gloriae praefero, atque vt alii rem fama minorem, ſic, ſi fieri poteſt, rem fama maiorem habere malo. Sit, per me, cuicunque aut ingenii ſatis eſt, aut impudentiae, clarus: honore per me quisque

que fruatur et fama: aequalium meorum omnium memoria et nunc laetissime floreat, et litteris monumentisque decorata omni, quae futura est, posteritati tradatur, non inuideo. Quibus multos ad famam et honorem contendere video, artes imitari neque possim, si velim, nec velim etiam, si possim. Me, Optime Breitenbauchi, quandocunque fatalis et meus dies venerit, me non tristem, nec querentem, sed, vt conuiuam saturum, contentum exacto vitae tempore, meque beatum vixisse fatentem, recessurum exceperit; me igitur haec tantum comitetur fama, aut sequatur: Klotzium virum bonum fuisse.

Scr. Gottingae, a. C. cIↃ IↃ CC LXV.

*Operarum*

*   *   *

*Operarum peccata, quibus corrigendis, locorum interuallo disiunctus, operam impendere non potui, emendabit lector beneuolus.*